IOANNIS BRAVI PETRAFITANI,

Doctoris Medici, & rei Medicæ in Salmanticensi Academia interpretis.

DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORUM delectu, & præparatione Libri duo: qui ars pharmacopœa dici possunt.

AD SENATVM PETRAFITANUM ad eiusdemq; populi Rempubli.



SALMANTICÆ,

Apud Ioannem, & Andræam Renaut Fratres.

1592.

Expensis Ioannis Pulmani Bibliopolæ.



ON Phelippe por la gracia de Dios, Rey de Castilla de Leon, de Aragon, de las dos Sicilias de Ierusalem, de Portugal, de Nauarra de Granada, de Toledo, de Valēcia, de Galicia, de Mallorcas, de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua, de Corcega, de Murcia, de Iaen, delos Algarues de Algezira de Gibraltar, de las Islas de Canaria, de las Indias Orientales, y Occidentales, Islas y tierra firme del mar Oceano, Archiduque de Austria, Duque de Borgoña, Brauante, y Milan, Conde de Abspurg, de Flandes y de Tirol, &c. Por quanto por parte de vos el Doctor Iuan Brauo Cathedratico de propriedad en la facultad de medicina en la Vniuersidad de Salamanca, y vezino della, nos ha sido fecha relacion diziendo q̃ vos auiades cōpuesto vn libro intitulado de simplitiū medicamentorū dilectu, & præparatione libri duo qui ars Pharmacopea dici possunt, en lo qual auiades puesto mucho trabajo, y occupado os mucho tiēpo, y era muy vtil y prouechoso para la medicina, suplicandonos os mandassemos dar licencia y facultad para que lo pudiessedes imprimir, o q̃ sobre ello proueyessemos como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo. Por quanto en el dicho li-

bro se hizo la diligencia que la pragmatica por nos sobre ello fecha dispone, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra carta para vos en la dicha razon, e nos tuuimoslo por bien. Y por la presente vos damos licencia y facultad para que por esta vez podays imprimir el dicho libro que de suso se haze mencion, por el original que en el nuestro Consejo se vio, que va rubricado y firmado al fin del de Miguel de Ondarçaçauala nuestro Escriuano de Camara de los que residen en el nuestro Consejo, con que antes que se venda, le traygays ante ellos jũtamente con el dicho original, para que se vea si la dicha impressión esta cõforme a el, y traygays fee en publica forma, en como por el corrector nombrado por nuestro mãdado se vio y corrigio la dicha impressión por el dicho original, y mandamos al impressor que ansi imprimiere el dicho libro lo imprima el principio y primer pliego del, ni entregue mas de vn solo libro con el original al autor, o persona a cuya costa le imprimiere, ni a otra alguna, para effecto de la dicha correction y tassa, hasta que antes y primero el tal libro este corregido y tassado por los del nuestro Consejo, y no de otra manera pueda, y estando hecho, imprima el dicho principio y primer pliego, en el

qual

ſeguidamente ponga eſta nueſtra licencia, y la approbacion, taſſa y erratas, ſopena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha pragmatica y leyes de nueſtros Reynos, y mas de dozientos ducados para gaſtos de los eſtrados del nueſtro Conſejo, a cada impreſſor que lo contrario hiziere, y mandamos a qualeſquier nueſtras juſticias y juezes de nueſtros Reynos, que hagã guardar cumplir y executar lo en eſta nueſtra carta contenido, y no fagan ende al por alguna manera ſopena de la nueſtra merced, y de diez mil marauedis para la nueſtra Camara y fiſco. Dada en Madrid a dos dias del mes de Octubre, de mil y quinientos y nouenta años.

El Conde de Barajas. *El Licenciado Mardones.* *El Licenciado Iuan Gomez.*

El Doctor Amezqueta. *El Licend. Valladares. Sarmiento.*

Yo Miguel de Ondarça çauala Secretario de Camara del Rey nueſtro ſeñor la fize eſcriuir por ſu mandado con acuerdo de los de ſu Conſejo.

AD SENATVM POPVLVMQVE PEtrasitanum Epigramma Francisci Martinij Lusitani in Salmanticensi Academia Latinæ linguæ Magistri Primarij.

ACCIPE quæ magnus magna offert munera Doctor:
Artis Apollineæ nobile cernis opus.
Accipe, quæ exprompsit, facundo è pectore Brauus,
Petrasitana tuus terra perennis honor.
Tu fœcunda virùm fortunatißima tellus,
Virtute & factis inclyta & ingenijs.
Reddere te claram tot claros inter alumnos
Splendore hic summo perpetuoq́; potest.
Hausit quondam auras mortales, te ille parente
Immortale parit nunc decus ille tibi.

SENATVI PETRAFITANO

totiq; eiusdem populi Reipubl. Ioannes Brauus doctor Medicus, & rei Medicæ in Salmanticensi Academia interpres, Salutem & perpetuam exoptat felicitatem.



EDICINA donum Dei, prauè affectos homines sanans, optima salubritate præditos in suo statu conseruans, eos qui in morbos labi parati sunt præcauens, sopita ingenia excitans, morborum caligines fugans, & deniq; plerosq; iam deploratos in vitam restituens; plures habet partes. E quibus pharmaceutica, id est, quæ de medicamentis tractat meo iudicio plurimum momenti obtinet: de qua partim in opere de curandi via & ratione, per medicamēti purgantis exhibitionem egimus, partim verò in hoc quod est de simpliciū medicamentorum delectu & præparatione agemus, quod vobis donare decreui. Hoc vt facerem

multæ me causæ impulerunt, prima strenuæ virtutes vestræ, morum integritas, ingeniorum acumina, summa deniq; vestra in omnibus rebus gerendis prudentia singularis: Altera fuit quòd patriæ omnes plurimum debeamus, illiq; quisque, pro suo more & viuendi genere, munera offerre teneatur. Est enim cunctis hominibus patriæ recordatio amœnissima, quia vt inquit Cicero, patriæ solum cum omnibus est charum, tum verò dulce atque iucundum. Quod poëta etiam significauit dicens. Nos patriæ fines & dulcia linquimus arua. Verùm etsi patria sit nobis chara, multo chariores nos illi sumus quam illa nobis, dicente Cicerone, chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium charitates patria vna cõplexa est: pro qua quis dubitet mortem oppetere si ei sit profuturus? Eadem ipse lib. 3. de finibus bonorum & malorum his verbis asserebat. Ex quo fit vt laudandus sit is qui mortem appetat pro republica, quòd doceat chariorem esse patriam nobis, quàm nos metipsos. Nec ab re quidem, nam vt Porphyrius Phœniceus est autor. Etenim patria principium quoddam est vnius cuiusque generationis quemadmodum & pater. Atque hinc est quod locus in quo nati sumus patria dictus sit, quod communis omnium nostrum vt idem Cicero inquit, sit parens. Vndè & patri & matri & progenitoribus omnibus patriam esse anteponẽdam lib. 28. multis vijs suadere

[Li. 4. in. L. Catilinam.]

[1. Ecloga.]

[Lib. 1. de offic.]

[In prædicabilibus. ca. de genere.]

[Li. 1. in. L. Catilinam.]

dere conatur Plato colereq; eam oportere magis, eiq; obedire, ac rigidius se gerenti mitius assentiri quàm patri; & si quid iubeat, vel dissuadere illi quantum liceat, vel facere, & patientißimè sustinere quidquid iusserit subeundum, ne tergiuersandum, nec fugiendum, sed & in bello, & in iudicio & prorsus vbiq; ea sunt quæ respublica patriaq; iuserit facienda: aut certè verbis quatenus iustum est vti licet, ad persuadendū illi, eamq; placandā: Vi autē vti nefas est, vel cōtra matrem vel contra patrē maximè vero omniū, vel contra patriā. Hæc Plato. Qua serie clarè docet quāto in honore & dignitate patria à nobis habēda sit, quātumq; illi emolumenti rependere debeamus. Quæ sanè cōsiderans & sæpius animo voluens, cū aliquot in medicina libros ediderim, æquū mihi visum fuit hunc hominum saluti ne dū vtilem, sed & apprimè necessarium reipublicæ Petrasitæ patriæ & alumnæ meæ charißimæ dicare, vt munere hoc, meum erga illam amorem ostenderem, & vt eoipso illa me ei plurimum addictum esse cognoscat. Dixi opus hoc apprimè esse necessarium; nam etsi verum sit, quod alicubi Galen. testatur, non esse adeò magnum quod medicamentum præstare poßit, nisi nactum sit medicum, qui eo dexterè vtatur: ad eundem modum etiamsi medicus eximius sit & maximè doctus, nisi nactus fuerit optimum & accommodum medicamentum, minimum aut fortaßis nihil omnino mo-

In dialogo Crito, vel de eo quod agendum est.

Lib. 6. metho. ca. 2.

no molietur, non secus ac bonus artifex probis ac debitis destitutus instrumentis. Sunt enim medici instrumenta, medicamenta, quæ optima esse oportet si ipsa quippiam vtilitatis ægrotanti allatura sunt. Optima autem esse censeo in suis quæq; regionibus euulsa. Debito tempore collecta, probe reposita, aptè præparata ac suis dotibus ac electionibus insignita. Quæ sanè cuncta in hoc opere tradere nixus sum, quod Petrasitæ dedico, de cuius præstantia & amplitudine nonnulla hîc dicam. Extenditur eius ager ab ortu in occasum ex Pimpollare in Auellanedam, à septentrione in meridiem, ex flumine Cornice in altißima montis Gredorum cacumina; vbi sunt duæ rupes satis elatæ è regione positæ, quas fratellos accolæ nominant. In hoc tam amplo spatio pagi plurimi reperiuntur multarum rerum ad hominum vitam necessariarum fœcundi, armentorum, pecudum, equarum, ouium tenuißimorum vellerum prædicatarum; quæ lac suppeditant ex quo selectißimus ille caseus quem herbæ nominant, conficitur; quemadmodum & ex vaccarum lacte butyriola præstantia fiunt. Fert Petrasita fructus varij generis præstantißimos, fert rapas, quæ nullis totius orbis cedunt, perdices meiticas, aliosq; montanos passeres. Habet latißima pascua in quibus varij generis animalium greges saginantur. Habet syluas piceis plenas quæ Salmanticæ & alijs plerisq; populis pro construendis domibus vberem

made-

materam suppeditant. Habet nemora in quibus quæ venatu capiuntur animalia aluntur, cuniculi, lepores, damæ, cerui, apri, taxones, capræ syluestres. Habet flumina rapida quidem & limpidißima, salaribus scatentia, cornicem, Aluerchem, ac Tormim (omitto alia multa.) Cornix totam ferè vallem ambit, atque ab hoc flumine ipsa nomen accepit, & vallis cornicis est appellata. Coit cornix cum Tormi circa pontem Congosti. Aluerche intra limites Sãcti Martini Vegæ, ex fonte quodam in Vega Cortos scaturiente Aluerche dicto, nascitur, à quo, flumini ipsi nomen est inditum. Discurrit orientem versus per agrũ Petrafitanum; ac deinde paululum à pilis Pici montem egressus ad meridiem longè fluit & supra Talobricam vnius leucæ spatio cum Taxo flumine iungitur. Tormis nomen accepit ex eo quòd illic per lapides multos grandes atque rotundos fluit, quos incolæ tormos nominant: is propè Nauam redondam Petrafitæ pagum ex prægrandi quodam fonte ortum ducit, inde per multa oppida discurrit in se plurima alia flumina excipiens quousque ad Salmanticam perueniat, & tandem fluere non cessat, donec infra Letisam Durium amnem ingrediatur. Est Petrafita selectißimarum lanarum feracißima, fontium locuples, salubribus herbis abundat, noxijs animalibus minimè frequens habetur. Oppidum ipsum in humiliori loco montis Iuræ vocati est constitutum, ad

septen-

septẽtrionẽm spectat, & aquilonaribus ventis est expositum, quo fit vt pestem minimè sentiat, expurgatis vtiq; ab his flatibus inquinamentis quæ illã inducere possent. Amœnissimis hortis, omnis generis fructibus refertis, & virentibus pratis circundatur. Palatio & duplici muro vtroque lapideo munitur: duobus sanctissimis Cænobijs & celebri Ecclesia est insignitum, amplis plateis pulcherrimis fontibus præditis, latis vicis, ac ædibus optima structura editis condecoratur, quæ inquã tantæ sunt vt cunctis in locis Pomœrio locum nõ dederint. Viros habet Petrasita ad omne disciplinarum genus propensos, tamque paci quàm bello idoneos, quorum vnius tantum, D. Ferdinandi Toleti, Aluæ ducis & Vallis Cornicis Domini meminisse sufficiat; qui Petrasita ex D. Garcia Toleto, Ducis D. Federici filio & ex D. Beatrice Pimentela Comitis Benauenti filia natus est. Cuius præclara gesta tam nota apud omnes sunt, & ea ipsorum dignitas, & in omnium hominum oculis tam est exposita eorum magnitudo, vt inter egregias illorum laudes hæc vel in primis præcipua sit habenda, quod nullius alterius laudibus, nullius cõmendatione indigent, ipsis sibi suo splendore & amplitudine abundè magnam parientibus laudem. Quo fit vt Petrasitæ patriæ ingentes gratias referre debeamus, quòd tantum sibi alumnum & dominum, tantumque dedititijs suis ducem præbuerit. Aliud insuper me vobis plurimum

mum addictum esse ostendit, quòd olim vestrorũ salutis curam gessi. Quod munus vt exequerer ingenti stipendio (prout tempora illa patiebantur) condecorastis. Quod mihi honorificentissimum fuit & maximè gratum. Quia vt Cicero ait, nihil ex omnibus rebus humanis est præclarius aut præstantius quam de republica benè mereri. Hæc igitur fuere causæ cur statuerim opus hoc vestro nomine in lucem prodere, & in manus hominum communemque reipublicæ vtilitatem diuulgare, vt per vos hisce laboribus, si frugi alicui esse debent, potiri omnibus hominibus liceat.

Lib. 10. epist. fam. 5.

(?)

Pilæ Pici. *Puerto del Pico.*
Perdices Meiticæ. *Perdizes de Pinillo.*
Letisa. *Ledesma.*
Talobrica. *Talauera.*
Durius amnis. *El rio Duero.*
Salares. *Truchas.*
Tagus flumen. *El rio Tajo.*
Pomœrium. *La Ronda que esta entre la cerca y las casas.*

ERRATA.

PAgina.14.lin.26.pleeraque.le.piæraque. pag. 33.li.19.tantum.le.tentum.pa.66 li. 24.mari uam.le.marinā.p. 70.li.5.colleria.le. collyria. p.77.lin.26.emouerit.le.Euomuerit.p.142.lin 24. venenosi.le.venenosæ.p.144.lin.9.an.le ante. pag. 164.lin.18. le.bibatur, aut quoquomodo sumatur. p.210.lin.27.herba.le. herbas.lin.28. humides.le. humidæ.p.220.lin.23.Ergo.le.Ego.p.222.lin.23. captarum le.caprarum.p.225.lin.26.Galeno.le.Galenus.p.226.lin.3.euistere.le.existere.& lin.21.ferum.le.ſerũ.p.228.lin.18.subuerteretur.le.subuerretur.

Con estas erratas esta correcto conforme a su original este libro (De Simplicium, medicamentorum delectu). En testimonio de lo qual lo firme. En Salamanca oy.17.de Enero.1592.

El corrector, &c. — *Manuel Correa de Montenegro.*


Yo he visto las ojas que el Doctor Brauo acrecento en su libro de simplicium medicamentorum delectu, & præparatione que està por rubricar. Y juntamente ley todo el libro, y vno y otro me parece muy bien y de doctrina muy buena y verdadera en nuestra medicina, y muy importante para medicos y boticarios: y esto es lo que me parece y lo firmo de mi nombre. En Madrid en quinze de Deziembre del año de nouenta.

D. Ambrosio Nuñez.

YO Miguel de Ondarça Çauala escriuano de Camara del Rey nuestro señor de los que residen en su consejo doy fe que los Señores del auiendo visto vn libro intitulado, *De simplicium medicamentorum delectu libri duo; qui ars Pharmacopea dicitur*, Cõpuesto por el Doctor Iuan Brauo Cathedratico de medicina de propriedad en la vniuersidad de Salamanca, tassaron cada vn pliego del dicho libro a tres marauedis, y a este precio mandaron que se venda y no a mas, y que esta tassa se ponga en cada vn cuerpo del, para que se entienda el precio en que esta tassado, y para que dello conste de pedimiento de la parte del dicho Doctor Iuan Brauo, y mãdado de los dichos Señores di la presente, en Madrid a veynte y seys dias del mes de Febrero, de mil y quinientos y nouenta y dos años.

Miguel de Ondarça
Çauala.

IOANNIS BRAVI PETRAFITANI Doctoris Medici, & rei medicæ in Salmanticensi Academia interpretis, De simplicium medicamentorum delectu & præparatione.



LIBER PRIMVS.

Simplicium medicamentorum generalis diuisio & vocum quarundam difficilium explicatio.

CAPVT PRIMVM.



SIMPLICIA MEDICAMĒTA quorum in medicina est vsus, autore Galeno, diuersis ex locis emanarunt. Quædam enim à stirpibus, alia ab animalibus, nonnulla à metallis & terra, aliqua verò à mari & aquis, quæ tamen animalia non sunt, prouenerūt. Simplicia medicamēta quę ab stirpibus nāci scimur, in vniuersum sunt radices, rami, semina, folia, surculi, flores, fructus, stipites, cortices,

Libr. 6 de simpli. medicamē fa. capit. 1. & libro. 1. de cōposit. medi. per gene. cap. 2.

 tices,

tices, succi, gummi, liquores, resinæ, lachrymæ. Quæ verò ab animalibus sumũtur sunt pinguedines, adipes, medullæ, ossa, coagulum, sanguis, mel, cera, lac, oua, senecta serpentum; nonnullorum animaliũ cerebrum, vt leporis, & aliorum cornu, vt cerui, ac aliquorum ossa, vt ebur, os de corde cerui, & aliorum vngues, vt caprarum, asinorũ. Quorundam etiam gluten, vt tauri, picis, ictiocolæ, atque multorum excrementa vt fel, sudor, pili, vrina, æsipus, seu lanæ succidæ pinguitudo, stercora, vt canum, luporum, caprarum, columborum, asinorum, boum. Animalia verò, quæ medicinæ inseruiunt, sunt hirundo, lumbrici, buccinæ, limaces, cancri, purpuræ, galerita, vulpes exenterata toto corpore, ac præterea pulmonibus, menides capite, lupus hepate, fiber testibus, stinchi renibus, viperæ corpore toto excepta cauda & capite, pelle atque interaneis. Similiter & cantharides exemptis alis, quãquã in hoc controuersia apud autores sit, volentibus nonnullis sine alis, alijs cùm eis esse sumendas. A terra verò quæ sumũtur medicamenta, existunt metalla, lapides, gemmæ, auri pigmentum, sandaraca, sulphur, terræ genera aliquot, vt bolus armenicus, terra lemnia. A mari verò & aquis capiuntur sales, bitumen, spõgia, muria, adarces, nitrum, garum, asphal-

aſphaltum. Veruntamen anteaquam vlterius progrediamur: hoc in loco neceſſarium eſſe arbitror, quarundam difficilium vocum explicationem præmittere, quarum occurſus, medicos præſertim tyrones poſſet remorari. Hæc autem ſunt arbor, frutex, ſuffrutex, herba, radix, caulis, cortex, ſcap⁹, ſurculus, coma, cor, fimbriæ, lachryma, corymbus, palmes, papus, nucamentum, bulbi, baccæ, liber, ſiliqua, geniculi. Arbor autore Theophraſto lib. 1. de hiſtoria plantarum. cap. 5. planta appellari debet quæ ſtatim à radice, ſimplici caudice, nodoſo diſſoluique contumaci aſſurgit: à quo per interualla tanquam brachia exorti rami latius diffunduntur, vti malus, pyrus, quercus, ilex.

Caudex vocatur in arboribus id, quod à radice ſupra terram ſimplex aſſurgit, & in quod primò à radice fertur alimonia. Quarto de hiſtoria plantarum cap. 14. in fine, ait idem Theophraſtus, caudex ſicut fundamẽtum naturaq; arborum cõſtat. Dicitur etiam truncus & ſtipes: quæ voces per tranſlationem pro ſtulto & fatuo accipiuntur. Apud antiquos verò caudex & codex pro eodem ſumebantur, & vtriuſq; eadem erat ſignificatio: quamuis hodie caudex pro trunco, codex pro libro accipiantur, quia à caudice cortex detrahebatur, qui apud antiquos

chartæ vsum præbebat.

Frutex eodem Theophrasto loco citato autore, stirps est quæ à radice caudice multiplici, ramosoq; se se attollit, à fruticando, hoc est, pullulãdo dictus, quòd succisus semper suppullulet. Huius generis sunt rubus, rosa, terebinthus, lentiscus, canis rubus. Frutex, teste Valla libr. 4. dicitur qui ad iustam magnitudinem arboris non assurgit, & statura herbis nonnullis est similis. Verùm non demoritur nec arescit, vt herba, sed perennis existit.

Suffruticem, qui inter herbarum genera annumeratur, herbarij plantam appellant, quæ à radice caulem emittit lignosis adnascentibus ramulis, folijsq; minutis, quę non velut aliarum herbarum folia quotannis arescunt & decidunt, sed perpetuis folijs toto anno viret: vt stœchas, ruta, hyssopum saluia.

Caulem verò primo de historia plantarum cap. 2. Theophrastus vocat id, quod supra terram simplex assurgit, & in quod à radice alimentum defertur, atque caudicem ad frutices & arbores, caulẽ ad herbas duntaxat pertinere. Hispanis dicitur, tallo, sicuti caudex, tronco.

Herbæ deniq; dicuntur reliquæ plantæ, quæ inter initia folia tantum sine caule pan

dunt

dunt quolibet anno decidua, ac deinde in caulem erectæ flores & semina ferunt, vt holera, & siluestrium innumeræ, quæ sponte sua in campis proueniunt, tamen si ex eis nonnullæ habeantur, quæ caule, floribus, & semine carent, vt cynoglossum, hemionitis, dictamus.

Atque hoc in loco silentio minimè prætereundum censeo stirpes assiduè inter se transformari, siquidem herbæ diligenti cultu sæpe arborescunt, cuius rei testimonium præbet malua, quam pluries se vidisse refert Theophrastus, senis, septenisve mensibus cultam, tanta caudicis longitudine, crassitudine & duritie proficere vt hastę instar grādesceret. Et Florentiæ quandoq; brassicam ita altam. 9. episto. epist. 3. se vidisse affirmat Manardus, vt proceritate multas æquaret arbores, & nonnullas etiam superaret. Cultu itidem frutices quandoque temporis diuturnitate in arbores nō pumilas exeunt: sicuti ob eiusdem cultus defectum euenit vt arbores quædam siluescant, ac à sua natura ita recedant vt in frutices degenerēt. Tantū enim in plantis naturæ germanitas potest, vt non solum sæpè herba arboris, vel fruticis formam agat, sed etiam quasdam in alteras stirpes facile vertat, dicente Galeno casiam in cinnamomum sæpè transformari, & Libr. 1. de antidot. capit. 11.

chalbanum in sagapenum, similiter etiam sisymbrium in mentham mutari. Theophrastus lib. 2. cap. 5. de plantarum histo. & lib. 2. de causis plantarum cap. 21. & lib. 5. eiusdem tractationis capit. 5. literis prodidit. Qua eadem germanitate triticum in loliũ, hordeum in auenam, & ocimum in serpillum trãsire quotidie videmus, & idem Theophrastus literis prodidit lib. 4. de causis plãtarum cap. 6. Radix teste Theophrasto ea pars in stirpe dicitur, qua immediate à terra attrahitur alimẽtum. Vnde Virgilius sic ait: Pullulat ab radice alijs densissima sylua.

Libr. 1. de cau. plantarum cap. 2. Lib. 2. georgicorum.

Scapus in herbis dicitur caulis simplex in styli modum surrectus. Ruelius sic dicit. Radix est id, quo alimentum elicitur & terræ cohæret: caulis verò, in quod idem defertur nutrimentum, simplexque supra terram assurgit. Is si in styli modum sursum prorepat aut in altũ feratur scapus Latinis nominari consueuit, ducta à columnaribus scapis similitudine. Vnde Plinius lib. 18. cap. 10. de fabis verba faciens ait: Inuentus est iam & scapus centum fabis onustus.

Libr. 1. de natura stirpium ca. 2.

Surculus, Theophrasto libr. 1. de causis plantarum cap. 2. pars ea in planta vocatur quæ ex caudice, vel ex ramis simplex ac indiuidua oritur, estq; veluti germen quoddam annotinum, quod præcipuè arborum generi

generi conuenire voluit: dicitur surculus Hispanis, pimpollo.

Comam Ruelius appellat quidquid hilari venustate crinium modo summa ramorũ, vel coliculorum exornat. Vnde Poeta libr. 4. Georgic. in hunc modum scribit. Ille comam mollis iam tum tõdebat achanti. Cortex Theophrasto lib. primo de histo. plantarum cap. 4. est pars vltima plantæ & à subiecto corpore separabilis. Cor eidem Ruelio est id quod in medio ligni residet & tertium à cortice continetur veluti in osibus medulla.

Libr. 1. de natura stirpium ca. 1. post principium.

Fimbriæ, vt autor est Ruelius lib. 1. de natura stirpium cap. 2. sunt vestium extremitates, quæ incisuras habent serræ dentibus non absimiles, à quibus & fimbriata plantarum folia dicũtur, quæ in ambitu veluti lancinata in quasdam fimbrias exeunt: sic etiã & castor quòd extremas fluminis oras incolat fiber dictus est.

Loco præcitato & capit. 4. ad finem. & ca. 88. ad initium.

Matrix autore Theophrasto id est, quod in medio ligni tertium à cortice continetur velut medulla in osibus: id nonnulli cor alij medullam appellant.

Libr. 1. de histo. plantarũ cap. 4.

Lachryma Theophrasto is est humor, qui sponte, vel desecto caudice, vel ramo sine aliqua expresione prosilit, & in extremitate ipsius ligni apparet. Vnde Plinius lib. 23. in

procemio inquit: Lachryma vitium quæ veluti gummi est, lepras & lichenas sanat.

Lib. 16, capit. 34. Corymbus à Plinio vocatur hederarum vua dependentibus acinis in orbem coacta, transfertur tamen ad multos herbarum fructus. Plinio subscribit Ruelius lib. 1. de natura stirpium cap. 87.

Palmites vt elicitur ex Theophrasto lib. 5. de causis plantarum capit. 11. & ex Columella lib. 4. de re rustica. cap. 17. sunt virgulæ, quæ è stirpibus quotannis prodierũt, sic nominari, quòd in modum humanarum palmarum virgulas, quasi digitos edant.

Papus tam Græcis quam Latinis lanugo est ex floribus aut fructibus decidua: autores sunt Theophrast. lib. 6. de historia plantarum cap. 4. & Plinius libr. 21. cap. 16. Sic etiam lanosi quidam villi, qui deflorescentibus aliquot herbis remanent & post modũ in auras euanescunt papi dicuntur, vt in senetione, soncho, & plerisque alijs fit. Vnde Plinius libr. 25. capit. 13. dicit esse herbam quæ senetio dicitur, quòd in papos abeat & lanuginem carduorum floribus similem habeat.

Nucamenta, vt autor est Ruelius lib. 1. de natura stirpium cap. 2. & cap. 10. in initio dicuntur, quæ callo squammatim compactili pendent è ramis nucum, roborum, populorum,

rum, salicum, & picearum, sic dicta quod sint quasi quædam naturæ rudiméta pineam nucem nuper enatam æmulantia. Cui adstipulatur Plin. lib. 16. cap. 10. Vocantur etiam cachries & ab Hispanis, moxigatos. Hæc sunt quæ in populo flores populi vocat Galenus 4. de sanitate tuenda ca. 8. in cuiusdam acopi medicamenti compositione.

Bulbi, radices sunt rotúdæ, tunicatæ, quales sunt croci, lilij albi, hyacinthi, asphodeli, & colchici. Theophrastus lib. 7. de historia plantarum cap. 13. herbas quæ radice orbiculantur bulbosas vocat. quas lib. 2. de causis plantarum cap. 4. diutius perdurare scribit, quod pluribus tunicis & lentitia polleant.

Baccæ Ruelio dicuntur fœtus minutiores herbarum, fruticum, arborũ, qui nõ densius vt acini sed dispersius, rariusque enascuntur, vt sunt partus lauri, myrti, visci quercini, lentisci atque ligustri. Vnde illud Virgilij: Alba ligustra cadunt vaccinia nigra leguntur. Libr. 1. de natura stirpium ca. 2. Egloga. 2.

Liber eidem Ruelio loco præcitato, est pars corticis interior, quæ ligno præsertim adhæret, olim chartæ vsum præbebat, vnde his quos scribimus libris nomen dedit.

Siliqua tegumentum est, quo vel grana leguminum, vel herbarum semina concluduntur: nam herbæ varijs modis semina profe-

runt, vt à Theophrasto disces lib. 3. de historia plantarum cap. 3.

Geniculi siue genicula sunt nodi, qui in herbis aut fruticibus conspiciuntur, sic geniculatæ radices nominãtur à Ruelio, quæ nodis quibusdam distinctæ protuberãt. Vnde Plinius libr. 18. capit. 7. sic ait: Genicula autem tritico sunt quaterna, farri sena, hordeo octona.

NEC velim lectorem latere Græcos autores magnis, & amplis rebus particulam hippo præponere solere, quod docent hipposelinum, hippomaratum, hippolapatum, & alia huiusmodi multa: prætcrea medicamenta multa efferri, per us, vel per os masculinè, vel per on, vel um, genere neutro, vt acorus, elloborus, hyssopus, fœniculus, crocus, lupinus, agaricus, peucedanus, œsypus, vel acorum, elleborum, hyssopum, fœniculum, crocum, lupinum, agaricum, peucedanum, œsypum. Sed de his satis, nam tempus est docere, quo nam pacto prædictæ plantarum partes colligi, ac reponi debeant, à radicibus exordio sumpto.

De eruendis, præparandis, ac asseruandis radicibus.

CAPVT II.

RAdices in plantis formauit natura, vt eis nunquã alimenti suppeditatio deficeret, quia teste Galeno lib. 6. de placitis Hippocratis, atque Platonis cap. 3. eodem munere funguntur in plantis radicum extremitates, quo in animalibus os: cui subscribit Aristo. lib. 2. de anima. cap. 4. & 4. de partibus animalium capit. 10. plantam animal inuersum vocitans. Nam vt idem lib. de iuuentute & senectute cap. 1. scribit, quam habent rationem in plantis radices, eandem habet in animalibus vocatum os. Quare Galenus loco citato ait radices fibris quasi osculis multis nutrimentum præparatum ac conueniens è terra, dulces dulce, amarum amaræ, salsæ salsum, acre acres, austeræ austerum (insunt enim omnia hæc terræ) ad se attrahere atque conuellere. Quæ Hippocratis est sententia lib. 1. de natura humana textu 31. & Galeni libr. 2. de elementis in fine. Coquũtur in ipsis radicibus nutrimenta prędicta ad stirpis partium communem alitionem. Dicente Theophrasto libr. 6. de caussis planta. cap. 15. radices tanquam ventres

esse

esse plantarum, quoniam cibus in his aliqua tenus alteratur. Galen. vero tenet venas meseraicas radicibus in arboribus proportione respondere, terram vero plantis ventriculi munus subire, nam censet iecur ex ventriculo per meserei venas velut arbores à terra per radices cibum ad sese allicere. Verum his in presentia omissis ad id, quod in hoc capite tradere instituimus reuertamur. Id autem erat docere, quonam pacto radices singulæ sunt colligendæ, præparandæ & asseruandæ, vt eis cum datur occasio commodè vti possimus. Eruendæ itaque sunt radices cum habitiores, vegetiores, & medicamentosæ magis reperiuntur. Quo autem tempore eæ dotes illis præcipuè insint controuersum est, nec idem apud omnes conuenit. Sunt qui haud infirmis rationibus nixi censeant omnes radices legendas esse veris initio, prius quam in folia & caules erumpant: alij autumno vbi folia deciderunt potius legendas esse volunt. Quæ tamen istarum opinionum sit veritati magis cohærens, non vndequaq; facile est inuenire, cum vtrique sua non desint argumenta. Ego vero illis potius assentirem, qui dicunt ipsas euellendas esse à terra cum folia decidunt, & caules contabescunt, quod omnibus (paucis demptis) autumno euenit. Nam etsi verum sit verno

Libr. 1. de causis sympto cap. 7. & 6. de locis affectis cap. 3.

tempore

tempore ſucculentiores & tumentiores inueniri, eo quod nondum caules folia, & flores emiſerint, à quibus omnibus radicũ ſuccus extrahitur, humor tamẽ, quo tunc abundant vber eſt, atq; excrementitius, & nequaquam coctus, cuius cauſa ipſæ radices corruptioni obnoxiæ redduntur, ac leui ex cauſa putreſcunt, ſic vt longo tempore aſſeruari non poſsint. Quod intuens Dioſcorides in proœmio, ſtirpium radices effodere præcepit cum ſtirpes ipſæ à ſuis folijs exuuntur. Quam ſententiam Auicenna ſequitur lib. 2. tract. primo. capit. 6. cum ſic ait: Et radices ſumendæ ſunt cum caſus foliorum tempus eſt. Ad quod reſpiciens Galen. lib. 1. de antidotis cap. 9. ſcillam colligendam eſſe docet cum eius ſcapus & folia exaruerint. Nam etſi rationi conſonum videatur, autumnales radices graciliores eſſe effectas, & ſucci pauscioris, eo quod maxima humoris pars in folia, & ſcapum abierit. Nihilominus tamen is qui remanet ſuccus non adſcititius eſt, nec crudus ſed potius purus & exactè elaboratus. Dubium tamen cõſideratione dignum hoc loco oriri poſſet, quo tempore ſunt effodiendæ illæ, quæ nunquam amittunt folia, ſed toto anno perpetuo virore permanent. Cui reſpondendum eſt, huiuſmodi eruendas eſſe protinus cum flores deciderint, ac

ſcapus

scapus exaruit. Quod animaduertens Mesues, scripsit iridis radices vere esse euellendas, quia eo tempore irides floribus orbantur suis. Quare immerito Mesuem reprehendit Manardus eum locum enarrans, dicens non vere ipso, sed potius secundum Dioscoridis doctrinam, cùm à folijs denudãtur, colligendas esse. Nam hoc Dioscoridis documẽtum intelligendum esse censeo, in illis quæ folia non seruant, non tamen in seruantibus ea, iridem vero toto anno virere nec vnquã vetera folia exuere, Manardus non animaduertit. Impendẽda itidem cura est, vt in illo solo & sub illo cælo effodiantur, quod naturæ cuiusque magis est proprium. Nec enim omnis fert omnia tellus, nec quod uis cęlum plantis omnibus est accommodum: sed potius vt Poeta ait lib. 1. Georgic. leges æternaque fœdera certis imposuit natura locis. Hinc factum est, vt in feruidis & meridionalibus regionibus odoratarum plantarũ maximus adsit prouentus, minimus vero in septentrionalibus. Quod enim stirpes quædã vnicum ament locum vel certè nõ omnem, cinnamomũ, balsamum, dictamũ, & alia pleraque medicamenta, quæ non nisi certis terris nascũtur, manifestè ostendunt. Vnde Plinius lib. 14. cap. 2. sic ait. Nanque est aliquibus tantus locorum amor, vt ibi omnem glo

riam

riam deponant & in alium locum nunquam transeant totę. Pari modo myrtum, laurum, nardum, amomum, palmam, schenuanthos, rhabarbarum, multaque alia locis quibusdã non nasci, omnibus est in comperto: idque vt idem Plinius scribit, vel fastidio vel contumacia, vel imbecillitate, vel cælo renuente, vel solo repugnante. Alia licet vbiq; nascantur, non tamen locis omnibus æquè bona proueniunt, sed in quibusdam præstantissima, in alijs non æquè talia gignuntur. Quod poeta lib. 1. Georg. eleganti carmine expressit scribens in hunc modum. Lib. 16. capit. 32.

Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ,
Arborei fœtus alibi, atq; iniussa virescunt (res,
Gramina. Nonnè vides croceos vt Tmolus odo-
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi?
At Calybes nudi ferrum, virosaq; Pontus,
Castorea, Eliadum palmas Epeiros equarum.

Atque hinc euenit vt iris in Illyrio nata: petroselinũ quod in Macedonia prouenit: mastiche, quæ ex Chio aduehitur, crocũ Coriceum, scamonium Antiochenum, rhabarbarum Indicum maximè probentur. Quæ vero medicamenta quibus in regionibus oriantur præstantissima, Dioscorid. & Galenus alijque veteres exactissimè tradiderunt. Sed cur ita eueniat, causa est, quia licet terra plãtarum omnium seminarium in se habeat, &

parens illarum sit, suo gremio alimentũ naturæ cuiusque congruum complectens (terræ nanque, vt inquit Hippoc. inest acre, dulce, amarulentum, & salsum, & alterius cuiusque generis, vnde si lupinus, vitis, colocynthis, cucumer agrestis, cucurbita in eodem sint loco sata, vel sponte sua proueniãt, Mesue testimonio, lupinus nitrosum humorem terræ, vitis dulcem, cucurbita insipidũ, colocynthis & cucumer agrestis ex adustioribus partibus terræ amarum trahent). Hæc tamen non æquè sunt copiosa omnibus in locis, sed in quibusdam copiosior est austerus humor, alijs acidus, alijs alius. Veruntamen plantæ primum alliciunt humorem naturæ suæ familiarem, vt acerbæ acerbum, dulces dulcem, acidæ acidum, salsæ salsum, amaræ amarum, acres acrem. Cum tamẽ humore sibi cognato destituuntur, trahũt quidquid primum eis occurrit, etiam si naturæ suæ minimè congruat, non secus ac ventriculus noster per inediam (testimonio Galeni & Auicennæ) succos quosdam excremẽtitios attrahit. Huiusmodi sunt sanies quædam biliosæ, pituitosæ, atque serosæ, quas scilicet trahenti illi cum nutrimento indiget, iecur remittit. Cum igitur hæc sic se habeant, stirpes sponte sua ortæ, aut opera nostra satæ, in loco naturæ suæ congruo, meliores

1. de natura humana text. 31. & Gale. 2. de elemẽtis capit. 5.

Libr. 1. de reme. theorema. 1.

Gale. lib. 3. de fac. naturalib?. capit. 13. non lõgè à principio. Auicen. 3. 1. d. 3. capit, 7.

liores sunt & magis probantur, vtpote vegetiores ac copioso humore sibi cōueniēte nutritæ. Veruntamen quæ in solo nascuntur naturæ suæ nequaquam familiari exiliores sunt, ac ob id minime eligendæ, eo quòd nutrimento sibi cognato destituuntur. Et si quandoque dissimilitudo ad earum salubritatem faciat: quando nimirum illæ in vna, aut duabus qualitatibus excessum amplissimum nanciscuntur. Sic plantæ quædam solum & cælum nactæ suæ temperaturæ contrarium, meliores euadunt, aliæ contra simili cælo & solo emendantur. Nam guaril, & aquaticum piper calida & sicca medicamenta, solo & cælo naturæ suæ dissimili, hoc est frigido & humido, & mucoso, aquoso, vliginoso, paludoso, opaco & similibus meliora proueniunt, quam in calido & sicco, vt aprico meridionali. Contra quæ humido abundant superfluo, vt turbith, agaricus, hermodactylus, loco nata naturæ suæ simili, hoc est calido & sicco meliora sunt. Ratio est quia hæc humore excrementoso abundant qui in locis siccioribus pariter, ac calidioribus absumitur. Nec solum dispositiones meliores vel peiores & proprietates varias à locis contrahunt plantæ, verum etiam vicinitate vnius ad aliam præstantiores vel deteriores efficiuntur. Sic hermodactylis, autore Me-

Mesues libro 1. de re med. theorema. 1.

Vbi supra. re Mesue, scillæ aut raphani vicinia vigorem addit: & senna rutæ, & epithymum thymi, & polypodium quercus contactu perfectiora fiunt, atque ob id talia magis à medicis commendantur. Contra scamonium propinquum ipsi xebram & cuidam speciei lactariarũ villosæ deterius euadit: vt & polypodiũ lapidibus innatũ, & epithymũ ocimo vicinũ. Non etiam negligenda est tẽporum ratio quibus singula decerpi postulant. Nec etiam illi sunt explodendi, qui in quibusdam plantis colligendis quædam decreta tempora obseruant. Siquidem Galen. libro 2. de antidotis cap. 11. in principio, alisum herbam inter caniculæ æstus colligere præcepit: quo tempore cancri fluuiatiles ad canum rabiosorum morsus capiuntur, tanquam vim maiorem eo tempore obtinẽtes. Sic peoniæ radicem ad epilepsiam, luna decrescente colligendam esse quibusdam videtur. Syrio etiam ardente captamus scorpiones: & anchusę radicem sanguineo succo madentem tẽpore eodem deprehendimus. Sed hæc obiter sint dicta: quare ad pensum redeamus. Radices eligendæ sunt firmæ, benè nutritæ, ac exteriorem corticem extentum habentes, quod Galen. 1. de antidotis capit. 15. his docuit verbis. Radices igitur medicinarum, quæ in vsum veniunt extento corti-

ce sint

ce sint non rugoso oportet, hoc enim earum maciem significat. At hæc si fieri possit inte græ à terra eximantur, exemptæ aqua clara probè lauentur. Quod lib. 7. de compo. me dica. secundum locos. cap. 2. titulo arteriacę ab Asclepiade in secundo internorum conscriptæ in medio Galenus fecit, filicis radices nuper è terra euulsas tandiu lauans donec omne terreum ab eis recederet. Deinde à radiculis & capillamentis quibus ferè omnes scatent sunt expurgandæ, ac mox diligenti cura (nisi fortè vtendi recentibus aliqua incesserit vel commoditas vel necessitas) sunt exiccandæ. Nec tamen omnes eodem sunt exiccandæ modo, sed si fuerint mi nores, tenuiores vel rariores, quales sunt fœniculi, apij, asparagi, brusci, polypodij, rubiæ, & endiuiæ vmbra & vento sunt siccandæ: eo quod Sol, ceu ignis quidam earum vi res promptè dissipat. Quod omnibus rara contextura præditis euenire compertũ est. Verum enim vero si ex eis fuerint quæ natu ra sunt crassæ veluti gentianæ, helenij, mandragoræ, brionię, rheipõtici, in sole, vel si cælum est nubilum, aut hyeme, igne tuto siccantur: eo quòd tales vmbra siccatæ situ tabescunt & putridæ redduntur. Quædã integræ siccantur, vt gentianæ, aliæ in taleolas frustatim dissectæ, vt iridis, helenij. Quod

commodiùs fiet si tenui funiculo ne partes se contingant traijciantur, aut si cratibus imponãtur, sæpè eas manibus versando, ne mucidæ fiant. Si vero siccitatis citæ est opus, patellæ ignitæ impositas assiduè voluẽdo siccabis. Curandum tamen est anteaquam siccentur, vt cor illud lignosum, quod in omnibus ferè radicibus includitur, ipsis in longitudinem scissis integrum eximatur: quippe neruo in animali, & non cordi proportione respondet, vt in examine syrupi acetosi de radicibus prudenter animaduertit Musa. Quare cum frigidum, ac terreum sit atq; omnino inutile, nullamque vim obtinens, abijciendum potius quàm seruandum censemus. Vnde Galen. lib. 5. de compo. medicamentorum secundum locos cap. 7. titulo crispi amici ad recentes in mẽto, &c. cortice radicis rumicis corde abiecto vtitur. Quod idem facit lib. 2. de antidotis cap. 3. in quadam antidoti compositione aduersus phalangiorum morsus, cortices radicis mandragoræ desumens. Et in eodem lib. cap. 105. titulo, conficiendi autem modus is, qui sequitur, sic ait: Cortices enim radicum in vniuersum commodiores sunt meditullijs ipsarum radicum: & Auicen. libr. 5. tractatu de syrupis, in syrupo acetoso communitatis cum seminibus, cortices radicum fœniculi & apij ponit.

Hæc Galeni verba ex secundo de anti. solum inueniũtur in codicibus Freleniani Lugduni excusis, Anno 1550. nõ tamẽ reperiũtur in codicib9 Frobenianis, nec in codicib9 Venetis.

ponit. Sic enim ait: Recipe, corticis radicis fœniculi & corticis radicis apij, ana, vncias iij. licet Musa loco citato hoc solũ faciendũ esse velit, in calidis & aperiẽtibus radicibus, nam in frigidis quales sunt endiuiæ, cicorij, lactucę, corticem simul cũ meditullio desumit. Imo & Plin. lib. 25. ca. 15. in medio, innuere videtur in radice ellebori nigri antiquos meditullio dũtaxat fuisse vsos, ita enĩ scribit: Antiqui radicẽ cortice quã crassissimo seligebant quo tenuior eximeretur medulla, hanc humidis spongijs opertam turgescentemq; acu in longitudinem findebãt, deinde fila in vmbra siccabant, his vtentes. Quæ verba apertè ostendunt, meditullia antiquis vsui forè non cortices. Nam quorsum obsecro dici potest tenuiorem, seu teneriorem medullã ab eis expeti dum ad eam eximendam radicem cortice quam crassissimo seligebant, si ipsam erant reiecturi? Pręterea meditullia sunt quæ fila propriè dicuntur, non cortices; quem locũ paucos video fuisse assequutos. Verum nihil nos mouere debet hæc Plinij sententia, eo ꝙ alia Ætij sententia demolitur, qui libro. 1. sermone 3. cap. 27. de elleboro nigro verba faciẽs, ita scribit: Dantur ex eo scrupuli. iij. plus minus, ita vt tenuia circa radices lignula paulũ in aqua madefiant, deinde auferatur cortex, & exiecce-

tur in vmbra, tundaturq; ac cribretur. Ego verò in vniuersum affirmauerim, radicum cortices vtiliores esse ipsis medi:ullijs, solasq; cordibus abiectis sumendas esse. Dum modo non sint radices admodum tenues, in quibus, Musa teste, nihil amouendum est. Imo & aliquæ sunt radices crassæ in quibus hoc non licet facere, eo quòd hoc corde orbentur, vt gentianæ, cyclamini, aristolochię rotundæ, iridis, brioniæ, centauri maioris, nimpheę atque rhabarbari. Siccatæ cum fuerint radices, loco non insolato, non infumato, non humido, non squalente, non puluerulento, sed sublimi & moderatè sicco sunt reponendæ, nè solis calore exurantur, ne vel humore ex tecto, vel muro madefiāt, quod est documentum Galeni libr. 3. de compo. medicamen. secūdum genera cap. 2. Eædem quandiu vegetæ adhuc existunt sunt seruādæ. Veratri genera nigrū, inquā, & album multos edurare annos, reliqua omnia à trimatu esse inutilia, Dioscorid. literis mandauit: cui aduersatur Theophrastus lib. 9. de histo. plantarum cap. 14. dicens ellebori genera 30. perdurare annos, aristolochiam 5. vel 6. nigram vermilaginem 40. centaureā maiorem 10. vel 12, peucedanum 5. vel 6. elaterium 200. Theophrasto subscribit Plin. lib. 20. cap. 1. initio, & lib. 21. cap. vltimo.

iuxta finem. Et denique radices omnes tanto tempore asseruari ac recōdi possunt, quāto à macie & teredine queunt vindicari. Tenues vero & raræ quales assari, phu, asparagi, rusci, & id genus aliæ per spatium vnius anni dūtaxat perdurant, quare hæ annis singulis mutari debent. Radices quinque communes sunt apij, asparagi, fœniculi, aut secundum alios graminis, petroselini, rusci.

De colligendis, asseruandis, ac eligendis herbis.

CAPVT III.

LIBRO primo de antidotis cap. 5. in fine, Galen. medicum consulit, vt omnium herbarum, si fieri posit, peritiā habeat, sin minus pluriū saltem, quibus frequenter vtimur. Peritiam autē habere nullo pacto potest, ni priùs ipsas quā è terra totæ eximātur, multoties conspexerit, videlicet nuper è solo emergentes, adultas, & senescentes, ac etiam dum fructus futuri sunt, dum ipsi eduntur, dum augescunt, & dum vigent, vt 3. de compo. medica. per genera cap. 2. post principium Galen. scriptum reliquit. Nam vt ait Dioscorides in præfatione, qui pullulanti herbæ duntaxat adstite-

rit, adultam cognoscere non potest, nec qui adultam tantum inspexerit, nuper erumpentem noscet. Quo fit, vt propter mutatam foliorum faciem, caulium proceritates, foliorum seminisque magnitudinem, & id genus alias peculiares notas, nonnulli qui olim has rerum varietates non perspexerũt magno in errore versentur. Quæ vero excalfaciendi vim obtinent, testibus Galeno 1. de antidotis cap. 14. in fine. & Dioscor. in præfatione, in locis cliuosis, ac ventis expositis, per flatis, frigidis, & aquis carentibus sunt colligendæ. Eo quòd (vt ipsi aiunt) tales, viribus validiores ac generosiores experiuntur: contra verò quæ in campestribus, riguis, ac opacis à ventoque silentibus locis enascuntur, plerumq; degenerant, ac minus viribus valent, humore locorum, earum calorificam facultatem haud parum demulcente: nam, vt Galen. ait, cuiusque saporis vires aquea retundit, ac hebetat humiditas. Danda etiam opera est, vt serena cœli cõstitutione, & suo tẽpore, ac opportunè singulæ demetantur, quemadmodum Galen. fecit lib. 1. de antidotis cap. 5. in fine, ipsas obseruato tempore quo vigent, nec æstiuo sole arefactas, nec citius quam par est auulsas colligens, nondum coctis seminibus aut maturis. Quæ fruticosæ sunt, vt stechas, trisa-

Libr. 4. de simpli. medica. fa. capit. 8.

go

go,polium,abrotonum, ſeriphum, abſynthium, hyſſopum, teſtimonio Dioſcoridis, ſemine prægnantes ſunt demetendæ. Aliæ vero demetiri debent, cum primum floribus ſuis ornantur: cuius claſsis ſunt Centaurium minus, origanum, ſymphitũ petreum, pulegium, ſerpillum, amaracus, polium, thymus, chamæpytis, anthemis, fumaria. Collectæ cum ſunt herbæ à terra, atq; ab alijs aduentitijs herbulis, excrementiſq; quibus ſcatere ſolent ſunt expurgandæ, mox in vmbra exiccandę; quemadmodum Galenus docet lib. 5. de compo. medicamen. ſecundum locos cap. 9. titulo de dentifricorum compoſitione. Niſi quòd quæ ſcapo conſtant craſsiori, vt acanthus, vel folio humidiori, vt portulaca, omnino ſunt inſolandæ: eo quod vmbra ſiccatæ procul dubio putreſcunt, & ſitu obducũtur. Aliquas tamen nullo modo exiccamus, ſed illis recentibus vtimur: quibuſdã omnino, vt lactuca, bugloſſo, atriplice, beta, braſica, naſturtio, intubo, hyoſciamo, mandragora. Nonnullis verò recentibus vtimur quando his mitioribus eſt opus, vt ruta, mentha, abſynthio, abrotano. Siccatæ nanque calidiores ſentiuntur, recentes vero minus calent ob mixtam humiditatem excrementoſam, ac ſemicoctam quam multam in mentha eſſe lib. 6. de ſimpl. me-

dicament. facultatibus testatur Galen. Rursus fumaria recens minus aluum subducit, magis sicca ex Mesue nō obscurè deducitur exhibēte succi eius vncias duas, pulueris vero drachmas quinque: cōtrarium vtiq; ipse facturus si maiorem purgandi vim in viridi inesse existimaret. Cæterū cum probè sicca tæ fuerint decusso puluere, capsulis tiliaceis vel pineis, vel fictilibus vasis diligenter clausis (nè earum vires euanescant, vt Hippocr. dicit) debent reponi. Qua in re testimonio Matthioli errant seplasiariorum plerique, qui herbas iam arefactas in fasciculos digerentes ad officinarum laquearia suspendūt. Vbi breui non solum ab aeris ambientis calore, ac ventorum perflatu viribus manent destitutæ, sed etiam puluere, & aranearum telis, ac muscarum recrementis polluuntur. Nec etiam illi culpa vacāt, qui in linteis sacculis textura rara præditis eas trabibus appendere solent: quippe æstiuus calor in ipsos penetrans quicquid boni in herbis inuenit absumit & abolet, vnde ipsę vigorem, velut in animi deliquium collapsæ, amittūt. Postmodum cum vtendi tempus instat semper illas eligere oportet quæ præstantiores sunt, illas abigere quæ viliores. Quæ vero sint præstantiores & vsui medicinæ conuenientes, quæ vę vitiosæ & inutiles, docet Galenus

In epistola ad Cratelam.

lenus libro 1. de antidotis capit. 2. scribens in hunc modum. Qui enim memores sunt eius quod superiori anno emerunt, cum aliud melius illo vident facile hoc illi præstare dijudicant. Ex herbis siquidem quęcunque vna cũ semine summis ramusculis adhærente apportãtur: pro cuiusq; tamen conditione plurimum seminis habentes, non habentibus, vegetas exilibus, ponderosas debilibus, compactas flaccidis, tempore non consumptas, cito absumptis potiores arbitrantur. Ex quibus liquet, optimas eum vocare semine refertas, vegetas, ponderosas, compactas & tempore non absumptas: vitiosas contrarias, nempe semen non habentes, exiles, debiles, flaccidas, & tempore absumptas. Et in eodem libro capit. 14. campestres quidem generosiores inueniri, in planis vero locis herbas fermè omnes imbecilliores prouenire, scriptum reliquit. At vero ab ipsis, quibus vti debemus quicquid lignosum durũq; existit, est abijciẽdum. Accipienda verò ad medicamenta folia, atque ex eis præcipuè quæ subtilissima, virentissimaque sunt, atq; in summis ipsis herbis nata, prout est Galeni præceptum 4. de sanita. tuenda capit. 7. Verum de herbis hæc dixisse sufficiat, præsertim, quia ea quæ in radicibus dicta sunt, de collectione, reposi-

tione,

tione, duratione illarum, ad herbas transferri possunt: nisi quòd herbæ minus diu seruari possunt; ob id quotannis mutandæ.

De colligendis & reponendis floribus.

CAPVT IIII.

FLORES legi non debent præcocius quam par est ante perfectam maturitatē, nec iusto tardius, cū, videlicet, euanidi ac veluti deliquio animi affecti decidētiæ proximi sunt, sed potius vt plantarum partes reliquæ, tempore medio quo maximè vigent. Auicen. lib. 2. tract. 1. cap. 6. colligendos esse docet post integram illorum apertionem ante extenuationem & casum. Licet capparum flores cum sunt in gemma anteaquam se explicent decerpendi sint, & rosarum expādi iam cœpti, cæteri verò cum omnino expansis folijs patent, antequam flaccescentes spontè sua decidant sunt colligendi. Verum cum maiori ex parte flores ferè omnes sint rara contextura præditi ac reliquis stirpium partibus teneriores, fragiliores & molliores, in vmbra vbi locus calidus & editus fuerit siccandi non sunt, tantum abest, vt sint insolandi. Quippe solis feruore, atque nimio aëris calore facile exoluuntur.

tur. Quorum imbecillitatis & mollitiei argumentum est nō mediocre quod ipsi à calore vel frigore nimio lacessiti, vel ab imbribus percussi protinus emoriuntur: dicentibus Theophrasto libr.4. de historia plantarum capit. 16.& libr.5.de causis plantarum cap.14.& Plinio lib.17.capit.14. in medio. pessimum esse arboribus si dum florent imbres descenderint: quippe aiunt protinus flores ob nimiam imbecillitatem defluere, atque deperdi Et licet hoc peculiariter oleæ vitique accidere dicat Theophrastus, eò quod, vt ipse ait, simul defluunt fructus propter exilitatem, id tamen cunctis ferè florentibus stirpibus commune esse, apud omnes conuenit. Quæ causa est cur vere pluuioso existente mellis adsit penuria defluentibus vtique imbre copioso, floribus, propter imbecillitatem. Quam imbecillitatem intuens Galenus lib.4. de sanitate tuenda capit. 8. flores pro acopis medicamentis conficiendis, non coquit, nec in duplici vase, nec alio modo, sed tantum ipsos diu macerat: quia coctura breui ipsorum destruitur virtus, licet genistæ, rosæ, & chamæmeli flores insolationem aliquam & cocturam patiantur, ob fortem partium suarum mistionem, & humiditatem quandam excrementitiam, quam secum commistam habent.

Siccen-

Siccentur igitur in locis temperatis; dum siccantur, sæpius reuoluantur ne situm contrahant, adhibita etiam cura ne sicci pristinum colorem deperdant, quandoquidem certum est flores, qui natiuum colorem non seruant, vel ab ipso quoquo modo degenerant, nullius esse in medicina vsus. Sunt enim teste Theophrasto libr. 7. de historia plant. cap. 3. varij florum colores, videlicet, candidi, lutei, leuiter rubri, cærulei, atque purpurei, quos omnes medicus memoria tenere debet, vt intelligat quantum vnumquenque florem à proprio colore degeneret. Flores & omnia, quæ iucundum odorem efflant, Dioscoridis documento, arculis tiliaceis nullo situ obductis debent seruari. Testimonio tamen Hippocratis in Epistola ad Crateuam in vasis terreis probe coctis sunt reponendi. Probe exiccati, atque repositi, ad annum duntaxat durant, qua de causa quotannis mutandi. Et si centauri, spartij, rosarum, etiam longiori perdurent tempore. Chamæmeli itidem diu vegeti sunt, item & schenanthos: sic vt nonnullorum sententia hic per decennium efficax seruari possit ob moderatam partium suarum adstrictionem. Quam vtique adstringendi vim Galen. libr. 1. de compo. medic. secundum locos capit. 3. Sexto item de simpl. me

dica-

dicamen. facult. 11. ei adscribit. Herbarum flores soli veniunt in vsum, licet Galen. 4. de sanitate tuenda cap. 7. ipsos vnà cum tenuissimis festucis quibus adhærent ad diacalaminthes confectionem desumat.

De colligendis, asseruandis, ac eligendis seminibus.

CAPVT. V.

COmmunis tam in animalibus, quàm in plantis naturæ scopus est, semen procreare, eo quòd ambo modis omnibus sibi simile moliuntur producere, vt cum immortalia non existant, saltem quadamtenus sint immortalibus proxima, specie per tot supposititia singularia permanente, quemadmodum libr. 14. de vsu partium, in initio Galen. literis prodidit. Quare cum in semine spes maxima sit speciei propagandæ, & eius quoad fieri licuit prorogãdæ, ob id in plantis aliquibus magna id cura est à natura munitum. Ac sæpè non sola fructuum carne, sed ligno, vel osse, vel cartilagine, vel callo tanquam loco tutiori repositum, vt tutatum sit aduersus cæli, & animalium iniurias, licet Theophrasti testimonio. 8. de hist. plan. cap. 3. non in omnibus

bus stirpibus semina eisdem nascantur modis, eo quòd quædam suis in plantis nuda proueniunt, quæ etsi decidant in terrã non erant se perditura: vt lithospermi, fœniculi, anethi, alia vasculis vel capitulis cooperiuntur, vt hyoscyami, papaueris, nimpheę, melanthij: alia siliquis includuntur, vt fabæ, lupini, ciceris: alia corniculis reconduntur, vt fœnugræci, sertulæ, campanæ, sinapis, papaueris corniculati: alia circa medullam quorundam fructuum intus continentur, quale est mali medici semen, pyrorũ, cotoneorum, citri limonis, cucurbitæ, peponis, cucumeris. Veruntamen, hæc posteriora decerpere oportet cùm fructus à quibus decerpuntur perfectam maturitatem sunt assecuti, reliqua omnia vbi siccari iam cœperint prius quam decidant: qnemadmodum in procemio nos docet Dioscorid. Non conuenit tamen seminibus protinus post collectionem vti, sed vbi ea in locis siccis reposuerimus, diu ab eis abstinendum est. Quo interea pars quidẽ humoris superflui exhalet, pars autẽ etiam coquatur. Defluit enim testimonio Galeni lib. 1. de alimentorum facult. cap. 10. à plantis, seminibus, & fructibus post quam collecta fuerint ac reposita, primum quidem quicquid aquosum, ac tenue est, post autem & nonnihil humoris na-
turalis

turalis. Vbi igitur ſicca fuerint ſemina arcu- lis ligneis, vel, vt Dioſcorides ait, chartis vel folijs in locis ſiccis ſunt aſſeruanda; facilè enim ad ſe omnem cõtrahũt humiditatem, quemadmodum de tritico, lib. 1. de facul. natu. cap. 14. iuxta calcem Galen. manifeſtauit. Porro ſeminum omnium tibi commune ſit indicium vt Galen. docet lib. 1. de alimentorum facul. cap. 10. quod quæ tota plena ſunt, & circunſcriptionem externam habent tenſam, meliora ſunt: quæ verò graciliora, & rugoſa, deteriora: quemadmodum quæ molem multo maiorem quam pro ſua natura habent ſuntque molliora ac laxiora, ſcito ea humiditatẽ habere ſuperfluam, quare optima ratione Galen. prædictis cenſet deteriora. Et lib. primo de antidotis cap. 15. ſemina inquit vegeta ſint neceſſe eſt, quod ex eo, quia tantum corticem habent cõijciemus. lib. etiam de bono & malo ſucco capit. 15. ſemina quæ macerata intumeſcunt, & priſtinam ſiccitatem & duriciem cito exuũt ac mollitudinem & humiditatem acquirũt optima eſſe iudicabat, ſicuti quæ tumorem ſuum & duritiem retinent, deterrima exiſtere arbitratur: eo quod talia difficulter coquuntur & ſubſtantia terrea conſtant. Deligantur etiam ſemina matura, benè habita, plena & corpulenta, & quæ naturæ ſuæ vi-

res proprias habent efficacissimas, & odorem & saporem & colorem, sui generis perfectissimum retinent. Sunt namque (Galeni sententia libr. de attenuante victus ratione capit. 5.) omnia facultate suæ plantæ similia, nisi quod illis prorsus sunt sicciora. Porro ad seminum bonitatem non parum solum facere videtur. Nam vt Theophrastus ait, nonnulli semina illa validiora esse affirmant, quæ ager præbeat optimus. Et quamuis multa reperiantur quæ vltra annum suas asseruēt vires, ea tamen quotannis renouare satius, ac tutius erit, quia quemadmodum ait, Galenus libr. 1. de alimentorum faculta. capit. 10. quæ diutius asseruantur vires habent imbecilliores: imo & pauca sunt quæ inueterata rancorem non redoleant, quo fit vt calorem nanciscantur extraneum & sibi non congenitum. Quod intuens Theophrastus libro 8. de historia plantarum cap. 11. dixit semen anniculum optimum putari, bimum verò deterius taleque sterile fermè esse. Et tandem illud semen ab vsu medicinæ est abigēdum quod sationi inutile putatur. Hoc tamen in loco à medicis præsertim tyronibus animaduertendum est, officinas seminibus quibusdam propria dedisse nomina, aliqua calida maiora, alia minora appellantes: similiter

Libr. 3. de caus. plantarum. 29.

ter & frigida. Calida maiora sunt anisi, fœniculi, carui, cimini: minora sunt ammeos, amomi, apij, dauci, frigida maiora habentur, cucurbitæ, cucumeris, citruli, melonum, frigida minora dicuntur scariolæ, lactucæ, portulacæ, & acetosæ.

De extrahendis, asseruandis, ac eligendis succis.

CAPVT. VI.

CVM succorum in medicina magnus sit vsus, non minori diligentia, ac studio, quam reliquæ plantarum partes sunt præparandi, extrahendi, atque ita asseruandi, vt citra labem & corruptionem toto anno perennent. Et si hi ab herbis & herbarum radicibus, atque fructibus eliciantur: non tamen omnibus vna esse potest extrahendi, reponendi & conseruandi ratio. Qui ex radicibus exprimuntur, vt cirenaicus & glycyrrhyzæ, licet aliqui existiment vere cum primum folia emergunt esse parandos, ego tamen censeo non vere, sed autũno post Arcturum, ac postquã folia defluxerũt extrahendos esse. Mouet me primum Theophrastus lib. 9. de histo. plan. cap. 8. hoc tempore radicidium facere iubens, ac conueniẽs

est eo tempore succorum parare extractionem quo radicidium fit. Accedit eò quòd, qui veris initio exprimuntur, propter radicum vberem humiditatem eamque excrementitiam, facile putredinem sentiunt: quē admodum cum agebamus de radicibus dictum est. Hoc intelligi debet dummodo radices succulentiores existant, sic vt ab eis humor elici possit, nā si exuccæ sunt & siccæ, melius est ab eis vere succum extrahere. Ex folijs vero qui eliciuntur succi, anteaquam stirpes flores edant, & earum caules lignescant sunt educendi. Ex fructibus denique nonnulli exprimūtur cum ipsi fructus perfectam maturitatem sunt adepti, huiusmodi sunt malorum punicorum, citriorum, limonum, baccarum myrti. Quidam anteà quam ad plenum maturuerint, vt mororum, iuglandium, berberorum, acatiæ, & prunorū siluestrium: alij ex immaturis adhuc vt omphax, oleum omphancinum, quia in istis frigus & adstrictionem quærimus: quibus qualitatibus immaturi magis pollent. Dicente Galen. libr. 4. de simplic. medicam. faculta. cap. 7. arborum fructus omnes quotquot nobis vbi maturuerint dulces apparent; nuper enatos acerbos, siccosq; esse, consistentia, pro sui nimirum parentis quemq; natura. Deinceps succis ipsis protinus cum

sunt

ſunt decerpti Galeni teſtimonio libr. 3. de ſimpli.medicamen.facult.cap. 15. in fine, ne corrumpantur, aut aceſcant coctione quadam, aut inſolatione eſt opus, aut ſaltem alicuius alterius perdurantis ſucci mixtura. Quod confirmat libr. 4. eiuſdem tractationis cap. 23. huius corruptionis cauſam referens in aqueum humorem à calore nec mutatum nec deuinctũ, ſiquidem eo teſte ſucci cuiuſlibet tria ſunt excrementa. Vnum terreum quale eſt in vinis fex, alterum aëreum quod ipſum quoquè vini flori proportione reſpondet, tertium aqueum, quod in omnibus ebullitionem corruptionemque efficit, vbi nimirum nec deuinctum nec planè alteratum ebullitionis tempore fuerit: quare ſubdit huius excrementi gratia quoſdam ſuccos non niſi coctos reponere, alios in ſole feruenti exiccatos, nam terrei aëreiq; gratia non admodum corruptos iri ſuccos metuunt, cum ea & ſeparari videant, ægreque corruptibilem ſortiantur ſubſtantiam, quandoquidem temperamentum nacta ſunt ſiccum. Hoc aqueum excrementum cum exactè deuictum fuerit in eam, quæ propriè eſt ſucci natura mutatur, quemadmodum pituita in animalibus per vlteriorem coctionem conuertitur in ſanguinẽ. Nec tamen omnibus ſuccis eadem eſt exiccandi ratio, ſiqui-

dem alij igne, alij sole exiccantur: igne exiccantur aloë & succus absinthij, hypocistidis, eupatorij: Sole vero conseruantur, succi florũ & fructuum, vt rosarum, granatorum, mororum, limonum & cotoneorum; leui coctura, & deinceps insolatione indigent succi herbarum, vt succus endiuiæ, borraginis, buglossæ, oxalidis: porro tam ij quam illi insolari debent donec exactè defæcati pelluceant, quod 40. diebus perficitur, vt autor est Mesues libr. 3. de antidotis cap. de infusione rosarum & violarum. Dandaque opera est ne vltra hoc tempus insolentur, aut plurimum coquantur, eo quod Galeno, autore lib. 6. de compo. med. secundum locos, capit, 3. qui plurimum cocti sunt resiccantur: sicuti qui plus quã par est, ad solem æstiuum ferueſcunt, licet tunc ad moderatam spissitudinem perueniant, per tempus tamen exarescunt, atque in eandem deueniunt ariditatem, vt conteri queant in modum balaustiorum. Quemadmodum igitur succi ne corrumpantur aut acescant statim ab initio coctione aut insolatione indigent, ita etiam alicuius alterius perdurantis succi mistura. Quod Galen. voluit lib. 6. de compo. medica. secundum locos capit. 3. cum sic ait: Corrumpuntur enim succi omnino, si absque melle reponantur. Verum hoc Ga-

leni

leni præceptum duntaxat de ſuccis craſsis intelligēdum venit, nam tenues, quales ſunt roſarum, cichorij, oxalidis, granatorum, fumariæ & ſimilium, pauco oleo ſuper infuſo in vitreis vaſis ſtrictorum orificiorū, in quibus continentur probe ſine melle cōſeruantur, vt ſolertes ſeplaſiarij facere conſueuerunt. Craſsi vero ſucci, quos ipſi pharmacopolæ inſpiſſamenta vocāt, quiq; igne exareſcunt, melle vt corruptionem non ſentiant, indigent. Huiuſmodi ſunt ſuccus gentianæ, abſinthij & eupatorij. Quanta proportione mel ſucco ipſi permiſceri debeat, à nemine hactenus determinatum reperio, pręterquā à Galeno lib. 6. de compo. medic. ſecundum locos cap. 1. titulo de mediorum pharmacorum compoſitione iuxta initium, quo loco ait, ſuccum ad mel quintuplum multitudine eſſe debere, ſic vt quinq; libris ſucci vna libra mellis ſuperaddatur. Nec etiam omnes craſsi ſucci melle, vt cōſeruentur indigent, cum aliqui vino reponantur, vt ſuccus centaureæ. Alij parantur aqua, vt hypociſtidis, & rhois, quemadmodum docet Dioſcorid. quia mel vtpote calidū & ſiccum, atque detergens exiſtens, ipſorum remitteret aſtrictionem, & frigiditatem obtunderet. Nec ipſi aliàs incorruptibilis materiæ exiſtētes, permiſtione indigent, cum propria adſtri-

ctione & ingenita siccitate satis à putrilagine possint tutari. Adhibenda etiam diligentia est, vt ipsos protinus cum corruptionē sunt passi abijciamus, eo quòd teste Ruelio libr. 1. de natura stirpium cap. 18. corrupti nulla coctura, aut permistione emendationem, aut correctionem suscipiunt, sic vt ad pristinam naturam à qua desciuerunt iterum remigrare queant. Et quemadmodum qui pristinum odorem, aut saporem non retinent abijciuntur, ita etiam qui has qualitates languidas obtinent sunt improbandi. Qua de causa dixit Galen. 1. de antidotis capit. 15. succos nec diuturnitate arefactos, nec suas qualitates obscuras obtinentes, esse eligendos. Qualitates Galen. vocat quæ olfactu, gustuque percipimus. Quæ tamen sit vnicuique propria & germana qualitas experientia dignoscendum venit: nam vt ait Theophrastus lib. 1. de histo. plantarum capit. 19. succorū varietas multiplex est, quia alij vinosi existūt, ceu vitis, mori, myrti, alij pingues, vt oleæ, lauri, nucum amigdalarū, strobilorum, alij dulces, vt fici, palmæ, alij acres vt origani, satureiæ, nasturtij, sinapis, alij amari, vt absinthij, centauri minoris, quod medici fel terræ ob eximiam amaritudinem vocant. Atque hæc de succis plantarum, & earum partium in præsentia dicta

sufficiant

ſufficiant. Nam non agimus modo de lenticinoſis illarum humoribus, ſed de his quę ab officinis propriè ſucci nuncupantur, tales autem ſunt qui ex tota ſtirpe, parte vè eius aliqua conciſa, aut tuſa torculari vel manibus vel aliter exprimuntur, protinuſque ab expreſsione liquidi permanent. Qui nanq; à glutinoſis ſeminibus, vt lini, pſylij, fœnugræci, cidoniorũ, aut à radicibus, vt altheæ, infuſione extractus humor eſt, cum lentorem habeat, & expreſsione extractus non ſit, mucago, ſeu mucilago, non ſuccus appellatur.

De euellendis liquoribus & eorum differentijs.

CAPVT VII.

IN medicinæ vſum varia habentur liquorum genera, quæ quamplurimis ex plantis, aut partibus earum aliquibus, vulneratis, terebratis, ſcarificatis, caſtratis, ſponte ſtillant ac defluunt: quorum alij gummi, alij reſinæ, alij lachrymæ vocantur. In gummi claſſe continentur opopanax, ammoniacum, ſagapenum, euphorbium, chalbanum, myrrha, thus, ſarcocola, ſtyrax, & id genus alia. In reſinarum vero genere exiſtunt terebinthina, laricina, pinea, picea, ſtrobilina,

mastichina, abietina. In lachrymarum denique classe, consistunt opium, scamonium, titimalorum omnium lac, cancamum, tragacantha. Gummi autore Galeno lib. 7. de simpli. medicamentorum facultatibus, lachryma est congelata concretaque in truncis arborum ipsam producentium. Erumpit vt Plin. ait lib. 37. cap. 3. humoris abundantia, densatur rigore, vel tempore autumnali, paratur postquam planta germinationem produxit: euellitur post fructuum vindemiam. Cuius rei testis est idē Plin. lib. 16. cap. 26. sic scribens: quæ gummi gignunt, post germinationem aperiuntur, gummi vero, non nisi fructu detracto spissantur. Eodem etiam post germinationem tempore, resinarū paramus euentum, vt ex Theophrasto liquet, 9. de histo. plant. capit. 2. dicente therebinthum, & pinum & reliquas resinam facientes arbores, cædendas esse post germinationem. Carent enim nouellæ arbores tędiferæ resina, anteaquam ad ætatem vigentem perueniant. Quemadmodū & illæ, quæ in ætate consistunt vigoris, priusquam germinēt, eò quòd vtræque, vt autor est Theophrastus lib. 5. de causis plantarum cap. 23. humorem non aggregant: in his ad germinationem in illis vero toto ad incrementum absumpto. Quemadmodū in pueris non fiunt

haemor-

hæmorragiæ ex Aphor. 27. tertiæ sectionis, quoniam celeriter admodum crescunt, & in eo augmento plurimus sanguis absumitur. In vigentibus tamen arboribus, & ætate maioribus atque in illis quæ germinarunt plurimus humor alimentitius superat, qui foras stillans in resinam abijt, sicuti in adolescentibus sanguinis profluuia maximè vigent, ob id quòd, cum corporis incrementum sistatur, plurimus sanguis redundat. Hæc tamen est differentia inter resinam & gummi, quòd gummi non statim euellitur donec cõcrescat, resina verò cum non concrescat, protinus ex plantis destillans potest euelli: est enim resina succus oleosus & pinguis ad inflammationē propēsus. Inter quam & gummi hoc identidem existit discrimen, quod resina oleaginea quodãmodo est, gummi verò aqueum. Quod experiētia maximè monstrat, quoniam resina igne accenditur, gummi crepitat. Difficile prærerea est resinã, & aquam miscere, facillimũ gummi & aquam, difficililmũ gummi & oleum, facillimũ resinã & oleũ: quæ experimenta resinæ naturã oleagineam, gummi vero aqueam esse ostendunt. Resinam prærerea oleagineam esse cõfirmant ea, quæ Theophrastus lib. 5. de caussis plantarum cap. 5. scriptum reliquit, dicens: resinam in arboribus, pinguedini in ani-

mali-

malibus correspondere, pinosque ob nimiā tedam non secus quam animalia ob plurimam obesitatem strangulari. Quapropter nostri temporis quidam medici naturarum rerum ignari merito à Musa reprehenduntur in simplicium examine, eo quòd in varijs compositionibus gummi & oleum miscent, resinam pariter & aquam: quæ nullatenus misceri queūt, vt experiētia mōstrat.

De euellendis corticibus & eorum differentia.

CAPVT. VIII.

Cortices quidam à fructibus auferuntur, nonnulli ab arboribus, ac alij ab herbarum radicibus, atque earundem nominibus appellantur: à fructibus euelluntur cortices citri, malorum punicorum, cucurbitarū. Ab arboribus, decerpuntur cortices guaiaci, thuris, sambuci, fraxini, à radicibus detrâhuntur capparum cortices, mandragoræ, thapsiæ, pituisæ, & alij huiusmodi. Qui omnes non secus sunt siccandi & reponendi, atque radices, nec alia peculiari indigent consideratione, præterquam quòd malorum punicorum cortices Galeno lib. 6. de compo. medicamentorum secundum locos capit. 1. titulo de mediorum pharmacorum

com-

compositione in fine detrahēdos esse iubet, iuxta id tempus quo punica mala nondum perfectè matura sunt, nō tamen lōgè à perfectione absunt. Arborū cortices decerpendi sunt illis germinare incipientibus, nam eo tempore facilè euelli possunt, ob vberem humorem subtus contentum: quo posteà deficiente ægrè diuelluntur, siccescentibus nimirū ipsis, atq; suis lignis tenaciter adhærentibus. Quæ Theophrasti lib. 5. de hist. plāt. c. 1. est sententia sic scribētis, Materies omnis quæ decorticāda accipitur, cædenda est quādo arbores ipsę germinare incipiūt, tunc em̄ cortex extricatu per facilis est: quod turgere appellāt, scilicet ratione humoris, qui sub eo cortice cumulari solet, postea inextricabilis redditur, materiesque nigrescit informisq; fit. Hæc Theophrastus. Porro in vniuersum hoc ex Galeno in fi. lib. 6. de simpl. medic. fac. de arborū corticibus scire nosseq; oportet, ꝙ similem facultatem obtinēt cum suis arboribus, velut & omnes cortices.

De fructuum electione & repositione.

CAPVT. IX.

FRVCTVS autore Theophrasto lib. 1. de histor. plant. cap. 3. ea est plantæ pars, quæ carne constat & semine, quæ vox frequenter pro semine ipso vsurpatur. Nam

Nam apud Galen. lib. 6. de simpli. medi. facul. fructus vrticæ, & lib. 8. fructus seseleos, fructus similiter maluæ, hyperici, perycli- meni, earundem stirpium sunt semina, de quibus loquitur idem lib. 11. de simpli. medica facul. titulo de ouis, cum dixit: fructus ad generis plantarū propaginem fuisse creatos: in alijs tamen, semina à fructibus nō mediocriter dissidēt, prout distinxit Galenus initio libri secundi. de alimentorum facultatibus, dicens pyri, & mali fructum esse pyrum ac malum, semen autem tria, aut quatuor grana quę in ipsis medijs habent. Idem etiā in ficubus & vuis est dicendum. Etenim fici fructus, sunt ipsi ficus, quod vero in ipso est, semen est fici. Sicut & acinus totius vitis est fructus, solum autem γιγαρτον, vitis est semen. Omnes tamen fructus diligenti studio sunt colligendi, illi præsertim qui in medicinę vsum reponūtur, cuiusmodi sunt pruna, serica, mala cotonea, myrti baccæ, pistacia, sorba, ficus, punica mala, iuglandes, amygdala, nuclei pinei, auellanæ, passulæ, camusia, mixæ, mespilla, & alij huiusmodi, qui omnes operæpretium est, vt maturi ex arboribus decerpantur, illis duntaxat exceptis, in quibus adstrictione & represione est opus, vt sorba, mora, verueres, quos paulùm immaturos demetere cōuenit: reliquos

verò

verò omnes exactè maturos nōdum tamen casui paratos euellendos esse, consuluit Auicen. libr. 2. tracta. 1. cap. 6. Iuglandes tamen amygdala, pistacia, nuclei pinei, & auellanæ, non prius ex arboribus decerpātur, quā planè vltimum maturitatis gradum attigerint & ad casum proximam habuerint dispositionem, id autem rectè cognoscitur cum extima inuolucra sponte sua dehiscunt, & arbore cōcussa vnà cum fructibus decidūt: alioqui insolatu contrahuntur & siderantur. Omnes tamen serena cæli constitutione nō nubibus infestis colligātur. Eo quòd teste Galeno lib. 4. de simpl. med. facul. cap. 12. quicunque fructus statim in prima eorum collectione seu vindemia, per asiduam pluuiam aliena humiditate implentur, quique alio quouis modo humiditatem acceperunt, omnes promptè leui occasione acescūt & corrumpuntur. Collecti Galeni præcepto lib. 3. de compo. medicamentorum per genera cap. 2. in locis siccis reponantur, in quibus aliquandiu sunt asseruandi, vt quicquid humidum & excremētitium est exhalet. Sunt enim fructus omnes virides, teste Galeno lib. 7. de simpl. medicament. facul. titulo de nucibus, pleni semicoctæ humiditatis: cuius causa illi, qui in victum febricitantium veniunt lento igne assari solent. Non

tamen

tamen omnes asseruari possunt, sed illi soli, qui anteaquam putrescant siccantur. Vt autor est Galen. lib. de bono & malo succo, capit. 5. sunt nanque qui hoc ferre nequeunt, vt per sicca mora, armeniaca, melopepones, & quicunque eiusmodi farinæ existunt, qui priùs quam siccescant putrescũt, inter quos nullus persicis fugacior experitur. Nam vt Plinius ait libr. 15. cap. 12. vix gratiam biduo retinent, qua de causa cogunt se venundari. Qui vero per annum reponuntur, aut maiori anni parte perdurant, in locis siccis asperginem non redolentibus apponantur, aut super paleas expandantur, aut hordeo vel milio sepeliantur. Fructus porrò eligantur benè habiti, fœcundi, substantia compacta præditi, in suo vigore lecti, & ex regione legitima aduecti. Optimi etiam sunt corpulenti, & carnem multam ac densam habentes, & exiguo osse constantes, quibus os datum natura est: fugiendi vero sunt leues, rari, rugosi, ex succi, tempore longo tabidi. Vnitate etiam & multitudine, vt Mesues ait, fructus meliores & peiores euadunt. Nã casia fistula cum est singularis, & sola præstantior est: colocynthis vero, & scilla, & cucumer agrestis deteriores, virtus enim diffusa remissior est, vnita valentior euadit. Nec ignorare debes, inquit Mesues, rei magnitudinem

Libr. 1. de re medica. theore. 1.

dinem

dinem & paruitatem, virtutis diffusionem, & aggregationem facere: ob id colocynthis magna, est melior, parua, deterior: quia paruitas virtutis aggregationem, magnitudo, diffusionem significat. Et cum teste Aristo. vnita virtus sit fortior se ipsa dispersa, merito medicamenta maligna, magnitudine, & pluralitate laudātur, paruitate & paucitate improbantur, benigna è contrario. Quo fit vt colocynthis maior & in sua stirpe multis alijs concomitata, parua & in eadem planta singulari præstantior censeatur: quoniam vires malignas & noxias habet dispersas & diffusas, quas parua & singularis coactas, & aggregatas possidet. At verò quæ nobis sunt alimenta aut medicamenta benigna, vt fructus salubres, & casia fistularis laudantur singularitate & paucitate, quoniam quem trahunt succum familiaris est nostræ naturæ: quo fit, vt quanto pauciora & rariora extiterint, tanto præstantiora habeantur: quia ostendunt bonæ & proficuæ substātiæ plurimum in se continere, sicuti contraria quæ talia extiterint, malignæ & deleteriæ. Omnes præterea fructus, qui in vetustatē reponuntur, Columellæ præcepto in fine capitis 44. lib. 12. de re rustica, cum suis pediculis legendi sunt: etsi citra arboris noxam fieri potest, etiam cum ramulis, nam ea res plu

Libr par nim 4. r gè à

rimum ad perenitatem confert: eo quod, ob continuitatem cum surculis calor illorum natiuus in ambientem nos aërem minus expirat: ac præterea ex surculis alimēti adhuc nonnihil trahentes aliquandiu minus minuuntur. In multis etiam huiusmodi pediculi necessarij existunt, eo quod fructus vnà cum ipsis in medicamentorum compositiones veniunt, vt ex Galeno liquet libr. 1. de antidotis capit. 15. dicente: Fructus autem qui vnà cum virgulis folijsque calicibus, ac floribus in theriacam mittuntur, ij sunt scordij, nepitæ, marrubij, stechadis dictami, polij, chamedryos, camepythyos, hiperici, centaureæ, sunt enim ij quos superiori sermone semina etiam diximus appellari. In quibus vero caro adest, ipsa sola in vsum medicinæ deuenit, eò quòd reliquæ fructus partes (teste Galeno lib. 9. de simpli. medic. faculta. titulo de terræ differentijs) terrenæ sunt ac siccæ, ossibus animalium proportione respondentes. Licet nonnulli medici cōprimere & exiccare volentes, nonnullorum putaminibus vtantur, vt glandium, auellanarum, ac aliquorum ossibus, vt palmularū. Porro fructus reponi debent sicco & frigido loco, quo nec fumus nec teter perueniat odor. Deinde substracti sic componi Columellæ testimonio debent, vt flosculi sursum pedi-

Lib. 12. de re rustica cap. 45.

pediculi deorſum ſpectent, quemadmodum etiam in arbore nati ſunt: & ne inter ſe alterum ab altero contingatur. Id etiam eodem Columella docente obſeruandum eſt, vt vnumquodque genus ſeparatim proprijs arculis reponatur: nam cum vnà diuerſa genera clauſa ſunt, inter ſe diſcordant & ſæpè vitiantur.

De ſimplicium medicamentorum tritura.

CAPVT X.

TRITVRA eſt partiũ medicamenti comminutio percuſſu, vel friatu idoneo inter duo corpora dura facta: quæ non tantum ſiccis medicamẽtis, verùm etiã humidis ac virentibus adhibetur, quamquã in hoc diſcrimen exiſtat, quod ſicca cribri ſuccuſſione deſcendũt, humida verò ac mollia contuſa vi coclearis aut rudiculæ per cribrum cernũtur. Teruntur medicamenta ob quatuor præcipuas rationes, videlicet, vt promptius actu fiant quæ eſſe poteſtate dicuntur, & vt in vnum melius miſceantur, ac vt aliquam facultatem nouam adipiſcantur, quam anteaquam trita eſſent non habebãt, & vt deniq; vis quædam malefica obtundatur. Hos tres poſteriores trituræ vſus docet

Mesues libr. 1. de antidotis capit. de tritura, priorem verò tetigit Galen. lib. 1. de simpl. medicam. facul. cap. 11. & 12. de quibus omnibus hoc loco sigillatim agendum, quantũ ad præsentem tractationem conuenit. Primo itaque teruntur medicamenta, vt promptiùs quod potentia sunt in energiam reducantur: nam quemadmodum ligna minutim cõcisa facile fiunt ignis, quæ verò sunt crassa ægrè incenduntur: ad eundem modum ait Galen. cap. primo lib. 3. de temperamentis, medicamenta quæ potentia sunt calida, quo tenuius sunt trita, eo citius & facilius à nostro calore actu calida euadere, & nos vehementer calfacere. Etenim piperis grana si integra ore contineamus, aut deglutiamus, parum ea & post longum tempus calfacere deprehendimus, cum eadem met trita comminuta ac cribrata, linguæ ventriculoq; imposita vehementissimum caliditatis sensum concitent. Atque hinc constare arbitror plurima potestate calida, quemadmodum iuncus odoratus & similia non comminuta, facile ignis flammam nutrire, verum quia à nostro calore comminui non possunt nè exiguum quidẽ caliditatis sensum in nos posse mouere. Quia quemadmodũ Galen. docet, ignis, vt qui omnium est tenuissimus simul & calidissimus & in profundum facile permeat,

Libr. 1. de simpli. medica. fa. capit. 11.

meat,

meat, & comminuit, vincit, extenuatque, transmutat atque in suam denique naturam conuertit, vndequaque, scilicet contingens, & quod contingit exuperans: at nostra caliditas supra quã, quòd crassæ sit essentiæ, & alituosæ insuper infirma est, vt non facile mutet quod contingit. Ex quibus Galeni verbis infertur, medicamenta potestate calida tenuissimè puluerata promptè actu calida euadere, quia celeriter mutãs ea calor in omnes illorum partes permeat illas protinus ad operationem excitans. Nam cum teste Galeno lib. 3. de temperamentis capit. 3. nos calfacere non possint, ni prius à nobis calefiant, quanto ocyus id patiuntur, tanto citius nos recalfaciunt. Idem iudicium tibi esto in siccis ac potentia frigidis. Nam sicca quo magis sunt comminuta, eò vehementius, ac citius exiccant. Exemplo sunt nobis vsta omnia, quæ vt magis siccent pollinis modo læuigantur, & cribro tenuissimo cernuntur. Frigida etiam nisi comminuantur refrigerare nõ possunt, adeò vt videatur sentire Galenus sola hac partium comminutione, & aduentitij motus acquisitione, ipsa in actum redigi. Dum libr. 3. de simpl. medicamentorum facul. cap. 20. ait, medicamenta potestate calida alterari eo duntaxat, quòd incalescant à nobis potentia tamen frigida,

tum quòd cōminuantur, tum quòd adscititium accipiāt motum. Et paulò inferius subdit. Medicamenta potentia frigida, vt actu nos frigefaciāt non prorsus ex se obtinent, verum à nobis prius perpetiantur, vt refrigerent oportet, etenim in minuta conteri, & aduentitium motum accipere, affectus sunt medicaminū. Teruntur secundo medicamēta ob mistionis necessitatem, quia quæ tenuissimè trita sunt in compositione melius miscentur, cum sic partibus suis minimis se mutuo contingant: qua ratione promptius & valentius inuicem in se agunt & patiuntur, ex qua mutua actione & passione rectiùs fermentantur, ac tandem vnam compositi virtutem producunt, non aliter quam elementa in mistione in vnam misti complexionem conspirant. Et propter hanc caussam autore Mesue terendi ratio, theriacæ, & mithridato & compositis propè omnibus plurimam affert vtilitatem: nam si teste Galeno lib. 1. de simpl. medicam. fac. capit. 14. corpora rara celeriter ab igne accenduntur, quia profundas omnes eorū partes flamma vndequaque contingit, non sine ratione partes quæ minimæ sunt cingente eas circūquaque alterante promptè mutabuntur, & alterationem patientur. Tertio modo teruntur medicamenta magis vel minus, vt facultatem

Mesues libro 1. theorema. 1.

tatem acquirant à priori diuersam, sic medicamenta exactè trita & in pollinem tenuissimum læuigata efficiuntur vretica, cum tamen prius essent alui deiectoria. Nam quæ tenuissimè sunt tusa, & cribro tenuissimo excreta maximè in totum corporis habitũ digeruntur, è diuerso crassiora in ventre hærent, quia angusta venarum ora rectè subire non possunt. Ob id Galen. lib. 4. de sani. tuenda. cap. 7. diospoliticon crassius facit cum aluum per id ducere studet, tenuissimum vero & minutissimum pollinis modò, cum vrinas mouere affectat. Quæ verba Mesues de cumino loco supra citato refert ex Galeno scribens in hunc modum. Confert medicamentis tritura, vt aliquam facultatem nouã adipiscantur: sic Galen. cuminum læuissimè terendo effecit diureticum, quod prius erat deiectorium. Ad eundem modum Manardus in fine secundæ epistolæ libr. 12. Rhabarbari tenuissimum puluerem in decocto polypodij, glycyrrhyzæ, & adianti in dilsuria bibẽdum exhibet, ad vitiosorum humorum renes & vesicam obsidentium per vrinales meatus expurgationem. Quamquam hoc fieri nõ debeat nisi cum huiusmodi partes vitiosis humoribus non ad modum sunt refertæ, nam si fuerint per deiectiones, & pharmaca deiectoria Κατοτέρικα Græci vocant

cant non per vrinales meatus euacuari debent, vt lib. 7. method. cap. 13. iuxta finem Galen. docet. Propter eandem per vniuersum corpus expeditam penetrationem species omnes cordiales, vt diarrhodonis, diamargaritonis, trium sandalorum, pariter & cerebrales, & diamusci tenuissimè pulueramus. Etiam si talis trituratio naturæ harum medicinarum summopere aduersetur, omnibus ipsis tenuem contusionem renuentibus, vt post videbimus: pulueres tamẽ stomachicos, vt aromaticum, rosatum, dianisum, negligenter terimus, eo quòd ipsos ventriculo adhærere & immorari optamus. Ob quem etiam scopum, & quia vim purgatricem habeat, hieræ genera omnia non multum elaboramus, ne ex deiectorijs fiant vretica: quod si Galen. lib. 8. de compo. medi. secundum locos cap. 3. post medium hieram per angustissimum cribrum excernendam esse scribit, dicendum est, id non scripsisse ex propria opinione, sed potius ex ea, quæ Themisonis fuit, loquitur eñ de hiera Themisonis. Farinas verò & reliqua emplastrorum medicamenta exactè læuigamus & per angustissima cribra transmittimus: quemadmodum Galen. præcepit lib. 9. de composi. medicam. secundum locos capit. 5. in malagmate ex baccis lauri. Quod duplici ratione fa-

ne facimus, primo vt melius per cutis meatus in profunda affectæ partis loca ingrediātur, quod intuens idem Galen.lib.5.de compo.medic. secundum locos, cap.9. titulo de dentifricorum compositione, quibus vtor, præstantius esse dentifriciū autumauit, quāto exactius simplicia fuerint trita. Secunda ratione & magis præcipua, vt partibus affectis citra molestiam imponantur, vt prudenter admodum animaduertit Celsus lib. 5. capit. 17. sic scribens: Laboriose verò cōteruntur ea ex quibus emplastra pastilliq; fiunt, nè lædant vulnera cum imposita sunt. Vltimo in puluerem mollissimum illa terimus medicamenta quibus crassius tritis vis noxia & malefica inest, vt ea terendo euanescat, quod in colocynthyde fieri debere Actuarius libr. de compo. medicam. titulo de simplicibus medicamentis purgantibus, & Mesues titulo de tritura summopere præcipiunt. Adde etenim, quod vt Mesues ait, si portiones eius crassiores sensuque perceptę sumantur, cum sint spongiosæ, villis ventriculi & spiris in testinorum adhærent, humoreque inibi reperto imbutæ tument, & partes dictas tumefaciunt, ac vlcerant: quæ verba multo ante Mesuem à Paulo scripta sunt lib.7.cap.4. in hunc modum, læuigetur autem colocynthis accuratè quoniam asperi-

tates ipsius interaneis adhærẽtes, vlcera concitant & neruos consortij lege afficiũt. Propter hanc etiam rationem turbit exactè puluerandũ esse cum Musa in examine pillularũ aggregatiuarũ, censeo: nam gummosum nimis cum sit, partes eius gummi illo tanquam glutino quodam ventriculo & intestinis adhærent, & eadem mala quæ colocynthis afferunt. Crassius vero teratur colocynthis cum in trocischos alhandal est formanda, sed ter quaterq; puluerãdi sunt trocischi & formandi, vt ea tandem tenuissime pulueretur. Eadem ratio est de metallicis quæ Galeni sententia, lib. 2. de compo. medica. per genera cap. 2. post principium, diu ex aceto terenda sunt & dissoluenda, vt citissime corporis meatus subeant, & citra noxam ad penitiora vsque penetrent, quæ si inter eundũ in via hærerent, non sine maximo morsu, & rosione munere suo fungerentur, & præsertim quæ ex his calida sunt. Quomodo humores corporis tenues facilè citra rosionem perspirãt, crassiores verò retenti & obstruẽtes, grauando, & si acres sunt rodendo vehementer infestant. Scamonium tamen antiochenum (quod præstantissimum esse perhibent) etiam si maleficentiæ non exiguæ sit particeps Mesue sententia pauca eget tritura, quia debili textura constat, & virtutem

cito

cito exhalabilem habet. Accedit ad hoc quod, vt inquit Actuarius loco citato & Ætius lib. 1. sermone 3. cap. 25. læuissimum cum sit facilè in corpus abripitur, & omnē in ipso immūditiam commouet, febrilemq; calorem adauget. Quapropter crasso modo triturandum est, vt tantisper in ventriculo immoretur, in quà mora ventriculo non affigitur, nec intestinorum spiris adhæret, quemadmodum colocynthis, eo quòd rarum est, atque friabile, & omnis tenacitatis expers: quare cum vno loco nō permaneat, sed quoquo versus feratur exulcerare interna non potest. Quod autem ea quæ loco mouentur nō erodant etiam si mordacitate participēt, testatur Galen. lib. 3. de temper. cap. 3. quo loco hanc, inter alias reddit causam eius, quod quæri posset, videlicet, qua ratione aliqua cuti imposita, vt sinapi, muria, allia, ac cæpe hāc erodūt, ac exulcerāt: intus verò deuorata, hoc facere nō possūt. Quod cum hactenus non intelligeretur, decepit Manardum in annotationibus in Mesuem, & alios plerosque arbitrantes scamonium quemadmodū colocynthim læuissimè esse terendum. Teruntur etiam medicamēta magis vel minus pro ipsorum terendorum medicamentorum natura, nam quæ crassa sunt, dura, solida, densa, neruosa, membranosa, fra

ctu

ctu contumacia, & in centro facultatem habentia diu terenda sunt, si ipsa in puluerem comminuere consilium est: nam interdum hæc minus conterimus, dum ea tantũ ad coctionem paramus. E contrario vero non vehementi attritu, sed potius moderato, atque mediocri sunt contundenda, tenuia, rara, friabilia, & facultatem imbecillam, ac superficiariam sortita, etiam si læuissimum puluerem requiramus: eò quòd talia violento ictu & nimis diuturno, exanimantur viribusque dissolutis languent, meliori illorum parte in tenuissimum puluisculum abeunte. Adde ꝙ lõgus attritus corporum durorũ, pistilli, videlicet, & mortarij calorem non mediocrem in medicamentis quæ atteruntur, vel gignit, vel auget, qui non solum medicamẽtorum facultatem peruertit, verum etiam si imbecilla est, dissipat, difflationẽ illam per prius dictam agitationẽ excitatam, fouens atque augens. Quam caloris ex attritu corporum durorum generationem, planè indicat farina, quæ vt Syluius ait, ex breuissimo contactu lapidum molarium calida in subiectam arcam decidit. Ad eundem modum quæ ex succis & liquoribus & lachrymis resiccatis proueniunt, vt aloë, myrrha, acatia, quia teste Galeno lib. 4. de compo. medica. per genera. cap. 4. facilè teruntur, ac promptè

ptè in puluerem mollissimum abeunt, non diu nec vehementer sunt læuiganda, ne ipso rum virtus exhalet, ac substātia tenuior euo let, quemadmodum in medicamentis tenuibus & rara facultate præditis vsu venire solet. Cinnamomum autem & casiam etsi om nium æquè calidorum tenuissimam substan tiam sortiantur, diu terenda sunt, quia interno cortice multum fibroso & neruoso fra ctuque contumaci constant. Quo habitu prædita medicamenta, adde etiam duro, den so, solido, crasso, multum diu teri debent sine metu dissolutionis facultatis ipsorū. Nec etiam in talibus medicamentis verendum est calorem extraneum ex multa tritura adsciscere, quia hic non solum nō obest huiusmodi medicamentis, verum etiam mirum in modum prodest, ea impensius attenuando. Quod animaduertens Galen. lib. 6. de compo. medicam, per genera. cap. 2. & lib. 3. capit. 3. nonnulla in sole terit, vt æris squamā, mannam thuris, alumen fisile, ęruginem, cal cithim, calcanthum, & similia. Ex multa enim tritura in sole quidpiam vstioni simile à Sole rebus ipsis accedit, licet calorem igneum non assequantur. Pharmaca etiam adstringentia, atque terrestria, vt galla, malicorium, & thus, quia in profundo virtutem habent, & crassa sunt essentia prædita

mul-

multam efflagitant contusionem, nisi forte inter ipsa aliqua sint friabilia, vt balaustia. Præsertim vero tenuissimè sunt puluerãda quæcunque ex istis cum tenuibus & discussorijs medicamentis permiscentur, vt id quod affectis partibus influit repellatur, vel alterius cuiuspiam vsus gratia. Eò quod talia Galeni sententia lib. 2. de compo. medicamen. per genera cap. 16. nisi elaborentur tritura quoad vsque in puluerem redigantur tenuissimum, ijs quæ trahendi, ac digerendi vim obtinent noxam magis quam præsidiũ sunt allatura. Ad eundem modum & metallicis omnibus, quia terrestri constant substantia, & ob id crassarum partium existũt, Galeni decreto lib. 2. de compo. medic. per gene. cap. 2. post principium, & lib. 3. eiusdem cõmentationis cap. 3. tenuitatem comparamus: subigentes diu in Sole æstiuo cum aceto vetustissimo, atque acerrimo, vt in profundum corporis, & ad punctum neruum penetrare possint, atque vt partibus acuto sensu præditis sine molestia sint occursura, quod in omnibus medicamẽtis quæ ex lapidibus componuntur, atque in asperis, & mordacitate constantibus perpetuò est obseruandum: quemadmodum Galen. lib. 13. metho. cap. 22. ijs docet verbis. At vero exquisitus membri sensus leue esse quod

inijciendum nihilque debere in se asperum, sabulosumvè habere omnino indicat, hinc igitur excogitatum commodè est, tum humido oui vtendum, tum quæ terrea corpora ophthalmicis, id est, ocularijs medicamentis miscenda sunt, ea esse cum summa diligentia ad vnguem læuigāda. Quam sententiam lib. 9. de simpl. medicam. facult. titulo de pyrite lapide confirmat in hunc modum scribens. Cæterum vbi in vsum vocantur lapides admodum vehementer contusi, atque ad læuorem redacti sint oportet. Similiter, atque ea quæ in ophthalmicas facultates ad miscentur. Etenim nisi pollinis instar comminuantur, adeò vt in profundum corporum quibus applicantur subeant, asimiles manent istis marinis, & fluuiatilibus arenis, quæ & ipsæ communem omnium lapidum vim possident. Rhabarbarum itidem quod optimum est, quia id graue, ac purum existit, nec virtutem superficiariam habet, ob prius expositam causam, exacta tritura vegetius, ac vigorosius euadit: quemadmodum scripsit Mesues, quo loco etiam ait, raro ac laxo contrarium euenire, taleque impensius pulueratum vim purgatricem propè omnem amittere. Verum dicet, opinor, hic aliquis si optimum rhabarbarum exactiùs terendum est, sequitur omne tale protinus

tinus fieri vrinæ prouocatoriū quemadmodum supra ex Galen. Mesue, & Manardo fuit manifestum. Cui respondendum est diuerso modo contundi rhabarbarum cum studemus aluum deijcere, ac cum volumus vrinas prouocare, siquidem cum illud deiectorium paramus nihil aliud molimur, quam id in æneo mortario quot satis sit contundere, cum tamē optamus vrinam multam prouocare non hoc solum sufficit, sed postquam abundè sic tritum est, oportet illud tenuibus cribris secernere, ac mox etiam denuò exactè læuigare, ac denuò per alia multo angustiora cribra transmittere. Quod præceptum in herbis & radicibus, ac omnibus alijs medicamētis quæ in tenuissimum pollinem sunt redigenda obseruat Galen. lib. 3. de cōpo. medicam. per genera cap. 7. Obseruandum etiam est non solum in hoc rhabarbaro verum etiam in omnibus ferè aridis medicamentis ne dum conteruntur puluisculus quisquam ex eis in ambientē nos aërem euolet, quod fieri prohibebimus si semina cucurbitæ, aut melonis vetustate oleaginea, aut oleum paucum dulce, vel amygdalarum dulcium, aut omphacinum (si res quæ contunditur adstrictionem magis exposcerit) miscuerimus. Hæc enim non modo virtutem ipsorum exhalare & in polli-

nem

nem tenuiſsimum euolare prohibent; ſed etiam ſuccos & alias tenaces ac viſcidas medicinas (ſi quæ fortè contunduntur) mortario adhærere non permittunt. Adde quod trituram faciliorem & commodiorem reddunt. Qualem vim Galen. opobalſamo tribuit. libr. 1. de antidotis cap. 15, in terenda theriaca. Iubens imas rutabuli partes opobalſamo frequenter inungere, atque opobalſamum ipſum hac vna in re totũ abſumere.

De ſimplicium medicamentorum coctione.

CAPVT. XI.

COCTIO medicamentorum quemadmodum aliarum rerum, teſte Ariſto. cap. 3. quarti libri, metheoro. elixatione fit & aſſatione, medicamentorum tamen coctio magis elixando fit, minus verò aſſando: in præſentia tamen de ambabus agendũ eſt, ab elixatione exordio ſumpto. Coctio itaque, prout elixationem ſignificat, nihil aliud eſt quam aliquorum ſimplicium virium in aliquem liquorem ebulliendo receptio: qua inquam elixatione ſimplicia coquuntur, vt ſtirpium, ac animalium partes, quemadmodum & terrea omnia: interdum & integra animalia, vt viua vulpes

in oleo ad oleum vulpinum conficiendum. Metalla tamen propriè coctionem non admittunt, quia etiam si decies coquantur vim suam in liquorem, in quem ebullierint immittere non possunt, nec in substantia alterationem pati: nihilominus tamen in ipsis decoctionis vocabulo abutimur. Nam aurum quandoque ebulliri iubemus & coqui dicimus, cum tamen verè non coquatur, nec liquori in quo ebullierit vim aliquam medicamentosam largiatur. Atque hinc factum est, vt Musa de quibusdam medicis summopere admiretur, qui vt vires animales ægris augeant, & cor vt dicunt roborent ac exhilarent, aureas monetas inter capones decoqui iubent: ex quibus, eius opinione, nihil aliud absumitur quam multarum manuũ sudor, quæ ipsas tractarũt eis inhærẽs. Liquor in quo medicamenta ipsa coquũtur magna ex parte aqua est: eaq; vel simplex vel cõposita: simplex item vt pluuia, vel fluuia, vel fontana, vel destillata: cõposita verò est bituminosa, sulphurea, aluminosa, salsa, mariua, ad hanc etiam reducũtur lixiuium, lotiũ, vinum, acetum, mellicratũ, butyrum, lac, interdum vero liquores duo, aut plures ad coctionẽ permiscẽtur, pro variis medicorũ scopis. Ignis coctionis autor sit purus, clarus non turbidus, aut fumosus, nec ex lignis aut

In simplic. examine.

carbo-

carbonibus semiustis, & qui terreã faculta-
tem nondum exhalarunt cõtractus. Quem-
admodum Galen. docet libr. 7. de composi.
medic. secundum locos cap. 2. post princip.
& 4. de sanitate tuenda cap. 6. quibus locis
præcipit coquere medicamenta ad prunas,
hoc est, ad mollem & non fumãtem ignem.
Fumus nanque medicamentis omnibus quę
coquuntur, sed præcipuè pectoralibus sum-
mopere est infestus: eo quòd alienam qua-
litatem rebus coctis imprimat, atq; eisdem
insuauitatem conciliet. Quod fieri prohibe-
bimus si ignem lignis odoratis atque aridis,
vel vitium sarmentis aluerimus. Quibus ma-
terijs nutrito igne viperas Galen. cõcoquit.
1. de antidotis cap. 8. pro pastillis viperinis
coquendis. Studet enim semper Galen. vt
ignis qui medicinæ vsui inseruire debet pu-
rus sit, & ex ἄκαπνα materia accendatur, nõ
solum in illis medicamentis coquendis quæ
intus sumuntur, verum etiam in eis quæ ex-
terius admouentur. Nam lib. 1. de composi.
medic. per genera cap. 5. de emplastris quæ
ex argenti spuma pręparantur verba faciens
inter alia sic scribit. Cæterum obseruato ne
coctionem lignis aut carbonibus peruri in-
cipientibus moliaris, nam fumus ei facilè ni-
gredinem conciliat. Perustis igitur antea car-
bonibus cum exactè ardent, tunc coctionẽ

auspicari. Quod si illam per hos absolui nõ valebit, in alio foco simili modo carbonibus præparatis cacabum superponito. Hæc Galen. Nec solum ignis impurus, atq; fumosus medicamento facilè nigredinẽ, ac in suauitatem conciliat: verum etiã eidem malignã quampiam, & venenatam qualitatem impingit. Quo fit vt (quemadmodum Galen. est autor lib. 7. de vsu partium capit. 8.) ex carbonum extinctorum quodam odore aliqui moriantur, & lib. de vtilitate respirationis cap. 4. ab extinctarum prunarum fœtore nos suffocari scriptũ reliquit. Ignis porro coquens pro natura & facultate coquendorum medicamentorum temperandus est, ita vt sit primùm blandus, & paulatim si res postulat intendatur: coctioni enim vehemens & repentinus nocet, quòd vrat, non concoquat, & facultatem medicamentorum dissipet, vt diligentissimus Mesues lib. 1. de antidotis capit. de coctione dixit: quod in electuario rosato obseruauit lib. 3. iubens illud flamma lenta coquere, quemadmodum, & syrupos propè omnes blando igne coquit. Instrumenta coctionis sunt multi generis vasa, aurea, argentea, ænea, stannea, ferrea, cuprea, plumbata, stannata, vitrea, atque terrea. Sed hæc bene cocta sint necesse est: quia quæ exactè penitusque cocta nõ sunt,

vt ait

vt ait Galen.lib.4.de ſanitate tuenda,cap.5. lutoſa potius quam figulina exiſtunt. In vaſe lapideo citra cõdita & miuam ſimplicem coquit Meſues,& Galenus libr. de theriaca ad Piſonem capit. 13. in vaſe teſtaceo viperas coquit,& libr.3.de compo.medicamentorum ſecũdum locos cap.3.titulo Lamponis ad Ozenas,& lib.6.cap.primo, titul.ſtomachicũ ex malis punicis Andromachi, mala punica in vaſe æneo coquit, atque in eodem ſtannato Nicolaus Alexandrinus coquit Diamorum. Ætius lib.2.ſermone.3. capit.99.in vaſe ferreo coquit collyrium.Aduertendum tamen ſumma diligentia eſt, vt omnia medicamenta acida aut acetum ſuſcipientia in terreis vaſis probè coctis & ſtannatis coquantur. Quod ſi Nicolaus Alexandrinus oxiſaccarum & oximellitem coquere iuſsit in vaſe æneo ſtannato,non ob id fecit quia fictilia ſtannata cognita ſuo tempore non fuerant, vt putarunt nonnulli: quoniam eorum Haliabas, Nicolao Alexandrino multò vetuſtior libr.10.practicæ cap.3. ad medicamentorum repoſitionem mentionem fecit: ſed potius, vt ego arbitror, quia fiſus erat ſtanni præſtantia: quòd vt lib.34. cap.17. Plin.ſcribit illitum æneis vaſis ſaporem gratiorem facit, & compeſcit æruginis virus,qua de cauſa ærea vaſa ſtannabantur,

qui mos in omnibus cupreis aut æneis vasis medicamentorum coctioni aut destillationi deseruientibus perpetuo est obseruãdus, illis dũtaxat exceptis, in quibus oculorum colleria, aut coquenda, aut destillanda, aut ad seruanda sunt, quæ stanno debent carere, vt ex viridi æris oculis accommodo aliquid medicamento affricetur. Quod obseruauit Dioscorid. in præfatione, ocularia medicamenta æneis, aut cupreis vasis recondere iubens. Veruntamen licet hæc vera sint, tutius est prædicta acida medicamenta, aut acetum suscipientia in vasis fictilibus probè cõctis & stannatis coquere, eò quod cocta in metallicis ferruginem quandã referunt, quę medicamentorum facultatem vitiat: terrea vasa, quæ nostro hoc tempore medicamentorum coctioni deseruiunt, cuncta plumbãtur & stybiantur, in quibus licet plumbum, & stybium adeo tenacissimè adhærent, vt vix atteri, aut euelli queant, tutiùs tamen meo iudicio erit, vt vasa eadem stannentur sine miscela aliqua plumbi, aut stybij. In quibus fictilibus vasis benè stannatis, olea & vnguenta sunt coquenda, eo quòd in metallicis si coquantur excedentem sibi ascifcunt calorem, ex quo fit, vt frigiditas frangatur in frigidis, in calidis caliditas intendatur. Vitrea omnibus essent accõmoda, ac præ omnibus

nibus venirent laudanda, ni facilè frangeren tur, ſicuti picata maximè ſunt vituperanda, tanquam nullo medicamēto coquendo vſui exiſtentia, qua de cauſa abigit ea Galenus in fine. 10. libr. de compo. medic. ſecundum locos: quemadmodum plumbea tanquam omnium nocentiſsima lib. 1. de antido. cap. 8. cenſet eſſe vitanda. Cuius maleficentiæ argumentum eſt non exiguum id quod ſeptimo libr. de compo. medic. ſecundum locos cap. 2. titulo confectio ex capitibus papaueris, ipſe ſcriptum reliquit, videlicet, aquam per plumbeos canales deriuatam dyſenteriam facere. Coquuntur interdum medicamenta in diplomate, hoc eſt, in duplici vaſe, id autem eſt (autore Galeno libr. 7. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos cap. 2. titulo arteriacæ, à Critone con ſcriptæ, & 4. lib. de ſanitate tuenda cap. 8. & lib. 3. de compo. medic. per genera cap. 5. & capit. 8. in fine. & libr. 8. methodi capit. 5. in principio) cum in lebete, in quo ſit aqua feruens inſeritur exiguum vaſculum pharmacum concoquendum in ſe habens. Ad quem modum iubet olea & vnguenta omnia, & arteriacas compoſitiones, & ad hæc propolim, ceram, reſinam, ladanum, ſeuum, atque chaluanum coquere, qui modus hodie à ſeplaſiarijs ob negligentiam ac auaritiam, non

vsurpatur, coquentibus prædicta medicamenta in vasis simplicibus, quo fit, vt resoluta, vsta, atque euanida reddātur. Adde quod olea simplici vase cocta assequuntur odorem tetrum & ingratū, & quæ frigida sunt, natiuam frigiditatem remittunt, quæ verò sunt calida calorem intendunt. Coquuntur medicamenta multis rationibus, videlicet, vt quorundam vires imbecillas augeamus, quod fit in coctis simul his quæ sunt valentiora, vt aloë in malo cidonio simul cum scamonio cocta euadit purgantior: & vt valentiores minuamus, sic omnia acria decocta fiunt meliora, horum enim vehementiam, si qua inest coctio frangit, qua de causa porra, & allia cocta in aqua acrimoniam remittūt, & vsui apta fiunt, vel vt alienas ac venenosas in totum demamus, quod sæpè fit, nonnunquam solis ipsis incoctis (quia vt Mesues ait coctio ipsa per se humorem excrementosum coquit, flatus resoluit, vapores mordaces ad nauseam ventriculum euertentes dissipat, atque eorundem acrimoniam, motus in corpore molestos, vim deniq; validè serrantem, excoriantemque frangit) interdum vero coctis vnà cum alijs, atq; oppositis. Sic Galen. libr. de theriaca ad Pisonem cap. 10. viperas cum anetho, & sale elixat, vt facultatem ab eis venenosam demat,

deun-

Ad eundem etiam modum ellebori radices, raphani radicibus transfixas inter cineres assandas imponimus, vt raphanus ipse pariter & radices purgent mitius quam elleborum ante coctionem: cuius rei Galen. meminit lib. quos purgare oportet. Ad quem etiã modum idem Galen. in procemio ad libros de alimentorum facultatibus scamoniũ malo cidonio circundatum in clibano coquit, vt clemẽtius, atque mitius purget. Coquuntur etiam quædam medicamenta, vt facultatem à priori oppositam, nanciscantur, cuius rei testimonium exhibet brassica, quæ autore Galen. lib. 3. de simpl. med. facul. cap. 15. modicè excocta ventrem subducit, diutius vero percocta eundẽ adstringit. Quod multò aliter ab Aristo. acceptum est lib. 3. problem. problema. 17. dicente, medicos ea in plenum excocta ad alui vehementes deiectiones fuisse vsos, quam rem præter Galeni autoritatem arguit etiam experimẽtum, siquidem compertum est, quod si plurimũ excoquatur ventrem cohibet. Idemque de beta, lente, conchularum, ostreorum & veterum gallorũ carne, loco præ citato censet Galen. omnia enim hæc in prima coctura subducunt, & multo magis si cum suis iuribus deuorentur. In secunda vero iure priore abiecto, aut ipso diutina ebullitione ser-

uato astringunt. Animaduertendum est non solum in prædictis simplicibus, verum etiã in alijs omnibus quibus liquor nouus consumpto priori est affundendus, vt secundus semper calens affundatur: cauendumque admodum est ne aërem aut aquam frigidam medicamentum quod excoquitur attingat, nam planè tabescet, & percoqui amplius non poterit etiam si diutissime coquatur. Quæ Galeni est sententia 2. lib. de alimentorum facultatibus titulo de brassica. Multa etiam coquũtur sicut saccharum atq; mel, vt coctione, ab spumea, & excrementitia substantia expurgentur: ignis enim, vt calida cætera, homogenea congregat etereogenea disgregat. Rursus alia coquuntur, vt diu seruari possint veluti suillæ pinguedines, aqua à seplasiarijs Ianuario mense coqui solent, vt citra raucedinem reponantur, vnguẽto rosato Maio mense componendo, sic etiã electaria, vnguenta, cerata, emplastra, eclegmata, sapas, atque syrupos coquendo siccamus, donec hæc omnia crassam assequuta sint consistentiam, vt seruari ad vetustatem possint: cum tamẽ apozemata, fructuum, ac enematũ decoctiones aliæque ijs similes, eò quod tenues & liquidæ existant, breui corrumpantur sic, vt per octo tantum dies ad plus citra corruptionem perdurent. Quæ

enim minus cocta sunt licet quo sunt liquidiora eo sapidiora, ac gratiora existant, minus tamē diu seruari possunt, vt oximel Galeni, potu, multò iucundius est, quam quod officinis ad mellis crassitudinem paratur, veruntamen parum durat, nam in aëre calido vix dies quatuor integrum seruatur, liquidum tamen, ac tenue præter hoc quod potu suauius est, etiam in febribus nullo caloris metu bibi potest, vt censet Galen. lib. 8. metho. ca. 3. in medio, quæ dos ad mellis crassitudinem cocto pharmacopolarum oximelliti per se non inest, veruntamen sic coquitur, vt diu possit seruari. Diamorum præterea cum melle coquitur donec absumpta humiditate excrementosa putredinis effectrice seruari in annum possit, quod mel solum citra idoneam coctionem succo mororum præstare non potest. Coquuntur denique medicamenta, vt melius inter se permisceantur, atque ex omnibus etiam facultate diuersis, ac sæpe contrarijs, facultas vnà concrescat, & coalescat, qui vsus compositis medicamentis propè omnibus quæ coquuntur est communis. Coctio item omnis facienda est pro coquendorum substantiæ ratione, si quidem coctionem non sustinent omnia æqualem, sed quædam debilem, alia valentem, alia mediocrem, qua de causa aliqua pa-

rum,

rum, alia plus, alia plurimum sunt coquenda: quæ omnia theorematibus nonnullis fient manifesta. Omnia enim virtutem citò exhalabilem maximèque resolubilem obtinentia parum diu, nec valenter excoquenda sunt, quod virtus eorum à coctione immodica facilè euanescat. Virtus facilè resoluitur vel quia imbecilla est, aut admodum tenuis, vel in superficie posita, vel quia in subiecto raro consistit: his verò contrario modo affecta medicamenta diu coquenda veniunt, talia autem sunt densa, crassa & in centro facultatem habentia. Cognoscemus autẽ medicamentum, virtutem facilè aut difficulter resolubilem obtinere hoc experimento, si manibus id contrectauerimus, & post modicam contrectationem odorem proprium amiserit, vim in superficie, aut in subiecto raro obtinere indicium est: si verò manibus contrectatum medicamentum, quanto magis id patitur, tanto vehementius proprium spirat odorem, suas habet in profundo vires easque ad modum firmas. Quod exemplis facilè innotescet, si enim ozimi folia modicè manibus tractemus odorem prorsus deperdunt, similiter etiam si violas per manus modicè ducamus odorem breuissimè amittũt, & nescio quid herbarei redolent, sin verò lauri, vel citri, vel nardi folia pertractemus,

quanto

Primum.

Mesues libro 1. theorem. 1.

quanto magis id facimus, tanto magis odorem proprium respirant. Vnde facile colligemus ozimum & violas, suas habere in superficie vires, easque multum languidas: spicam vero, laurum & citri folia in centro, atque admodum firmas. Simplicia præterea quæ terrea substantia non attenuata, & styptica quatenus styptica sunt insignita, maiorem ferunt decoctionē, minorem verò, quæ aquam, minimam verò quæ aëream. Non temerè adiectum est in stypticis quatenus styptica sunt, rosæ enim absinthium, rhabarbarum, aloë, mirabolani, quia vnà cum styptica substantia amaram facultatem in superficie habent & eam purgatoriā, ac facilè exhalabilem, minorem ferunt decoctionē quam styptica substantia postulat. Rursus glutinosa pinguia, adstringentia, & quæ integra coquuntur, plus ebulliri debent quam friabilia, non pinguia & in minutas partes distincta. Insuper quæ mel liberalius accipiūt vt lib. 4. de sanita. tuend. cap. 7. iuxta finem, docet Galenus, coqui largius postulant, eò quod multum mel multam egerit spumam, & eò vsque coquendum est donec omnem spumam euomerit, quod non nisi multa coctione & longo tempore euenire compertum est, propter eandem causam, quæ (auaritia forte seplasiarorum) vitiosum mel suscepe-

Secundū.

Tertium.

Quartum.

sceperunt, quemadmodum in eodem libro cap.6.habetur,coqui diutius debēt: & item quæ paucum & optimum mel suscipiunt si ijs parantur, qui mel & dulcia cætera auersantur:nam eo pacto,vt ait Galen.c.7.præci tato minus est dulce & minus stomachū eorū,qui à melle naturaliter abhorrent subuertit. Ad hæc odorata quatenus odorata sunt minus decoctionē ferūt quā non odorata: diximus quæ odorata sunt quatenus odorata, quia quæ in profundo vires suas sitas habēt aut fortem partium suarum mistionē,vt chamemalū & schinanthū decoctionem mediocrem ferre possunt.Fœtida diutius ebullire oportet, modo non exigatur fœtor in affectus qui medetur curatione, vt in vteri affectibus ac pręfocationibus. Præterea quæ lubricando purgant, vt manna,casia,thamarindi, pruna,Mesue sententia,coctione nō admodū iuuantur, quare parū coquenda sunt, ne vis eorū lubrica perdatur: quæ vero purgant cōprimendo,vt rhabarbarū, mirobolani,aloē,rosæ, si purgatoria volumus medicamenta parū diu coquenda sunt, nam coctio multa,vim eorū purgatricem superficiariā, ac parum firmiter in his raris corporibus mistam facilè dissipat. Si vero hæc astrictoria optamus, diu ebullienda veniunt,vt dissipata vi purgatrice terrea & astringens valida

Quintum.

Sextum.

rema-

remaneat. Hoc tamen in decoctionibus maximè obseruare oportet, ꝙ medicamẽta quę multam tolerant decoctionẽ, & nõ nisi longo tẽpore coqui possũt in decoctionis principio sunt immittenda, quæ mediocrẽ in medio, quæ verò exiguam in fine. Multã tolerant decoctionẽ, atq; ob id initio decoctionis ponũtur polypodiũ, hermodactylus, aristolochia, atq; radices propè reliquæ, quæ omnes concisæ vel cõfractæ immitti debẽt. Vnde etiã cum eis, aut paulò post conijciũtur ebanũ, spartæ, parrillæ sarmenta, ac cætera ligna, nisi sint aromatica vt agalochũ, santala alba, aut virtute imbecilla, & superficiaria constantia. Inijciuntur præterea cum his radicum, & arborũ cortices, vt capparorũ, guaiaci, dummodo in superficie vires nõ habeant. In principio etiã decoctionis ponuntur lapides (exceptis pretiosis) ponũtur etiã metalla, quia durissima sunt & coctu difficilia, quod si Galen. lib. 2. de cõpo. medic. per genera capit. 7. iuxta calcem in emplastro mellino eruginem immittere iubet in fine decoctionis cum iam cacabus ab igne propè modum est auferendus: dicendum est hunc esse casum particularem, quemadmodum cum in emplastris viridibus crudam æruginem ponit solius coloris gratia. Prædictis omnibus coqui iam cæptis semina sunt inij-

cienda,

cienda, regula tamen vniuersalis non est, quia sunt quæ ante, & alia quæ post immittuntur, ante initio, videlicet, decoctionis ponendum est hordeum, eò quod teste Galeno in fine commentarij 18. primi de ratione victus in acutis non nisi longo temporis tractu coqui potest, aliàs enim flatuosum nimis non esset. Post & in fine coctionis inijciuntur semina frigida maiora nimirum cucumeris, cũcurbitæ, peponum, citruli, eo quod Mesue sententia substantiam tenuem languidam ac vreticam sortiũtur. Hordeum cum ptisana componitur, integrum est ponendum, vt ex Galen. liquet libr. 1. de alim. facul. titulo de hordeo, quo loco cocos Romanos reprehendit, propterea quia hordeum in mortario contundebant ex quo erant ptisanam paraturi. Post semina, herbæ siccæ parum concisæ, etsi crassiores sunt confractæ immittantur, deinde virentes minutim incisæ, aut confractæ ipsas manibus contorquendo: excipiuntur adiantum, epithymum, quæ teste Mesue paucam sustinent decoctionem, hoc tempore ponuntur fructus exossati, ac semine purgati, & incisi, vt ficus, vuæ passæ, pruna, mixæ, serica. In decoctionis fine ponuntur flores propè omnes, vt stæchadis, borraginis, violarum, quia aut nullam, aut exiguam admodum coctionem

nem

nem patiuntur. Ob id olea quę ex floribus fiũt, insolãtur, nõ coquũtur, & quæ ex floribus validã odoris gratiã obtinentibus, vt rosis & chamemãlo constant, pluribus diebus insolãtur, quæ verò ex inualidioribus, & facilè difflabilibus, vt lilio & violis paucioribus, ne virtus eorũ euanescat: flores enim coctura facilè exanimãtur, quare postremi in decoctione sunt iniiciendi. Verũ chamemalum licet tenuis sit essentiæ, quia tamen fortẽ habet facultatis mistionẽ aliquantulũ coqui potest. Sub finem identidem iniiciuntur succi siccati, gũmi, resinæ, vt aloë, thus, myrrha, mastiche, sub quod etiã tẽpus mitti debent crocũ, macer, cinnamomũ, casia lignea, & alia omnia aromatica medicamẽta. Quod claris verbis voluit Galen. libr. 2. de compo. med. per gen. cap. 7. dicens. Postea verò si emplastrũ, vel thus, vel myrrhã, vel aloëm capiat hæc iniicienda sunt cum medicamẽtum ab igne tollitur, vtpote coctionẽ non ferentia. Quam sententiam lib. 6. de cõpo. med. secundũ locos cap. 1. titulo de mediorũ pharmacorũ cõpositione his confirmat verbis. Myrrham verò & crocũ melius est in fine cocturæ iniicere eo vsq; cũ alijs coquendo aut olla in terram posita mouendo, donec omnia probè vniantur: amplior autem coctura ipsorum destruit facultatẽ

aromaticorum medicamentorum. Et paulò inferiùs titulo decoctio pharmaci ex malis punicis, subdit, tēpus autem indendi ipsa non est principium, sed vbi propè perfectè coctum fuerit pharmacum, aut etiam penitus coctum olla iam in terram posita: sunt autem hæc, costus, amomum, & quod macer appellatur. Et iterum in eodem titulo de mediorum pharmacorum compositione citato, sic ait. Spuma argenti equidem & plumbago, atque alia multa metallica per cocturam meliora fiunt: crocus autem & myrrha, multaq; alia aromata in decoquendo vires amittunt. Nec tamen huic sententiæ aduersatur ipse in fine libri. 6. de sanita. tuend. in diacidonio zinziberem & piper post modicam coctionem & legitimam despumationem imponens, & deinde ad mellis crassitudinem coquens, quia piper aroma non esse elicitur ex eodem Galen. lib. 9. de compo. medic. secundum locos capit. 4. post principium. & parum ante titulum de colicis pharmacis ab Andromacho conscriptis in cōpositione Philonis Tarsensis, dum ait ex aromaticis appellatis medicamentis Philonem solam nardum iniecisse, innuens piper & reliqua medicamenta, quæ Philo ipse suscepit aromata non esse: licet hunc cō ponendi modum non perpetuò Galen. obseruat,

seruat, siquidem libro. 8. de compo. medic. secundum locos capit. 4. iuxta finem in eodem diacidonio, zinziberem & piper aridum inspergit postquam malorum cotoneorum succus cum melle & aceto coctus ad lentum ignem Attici mellis crassitudinē acceperit: censeoque parum referre zinziberem, & piper (etiam si aromata esse fateamur) in hoc diacidonio & similibus crassis medicamētis in media coctione inijcere, eo quòd à succorum tenacitate amplexantur, ac fortiter retinentur sic, vt etiam si persistat coctio euanescere non possit. Longè à medicamēti, ab igne, separatione anteaquā planè refrixerit inijciuntur moschus, ambarum, caphura, lapides pretiosi, pulueres, aromatici & cordiales. Quia in medicamentis quæ igne coquuntur maior calor quam tepens, vehementior vè quam is qui ex attritu corporum durorum gignitur, talium medicamentorum vires dissipat. Quapropter hæc aromata teruntur quidem quāquam minus quam alia, non autem coquuntur, sed reliquis iam dudum ab igne depositis ac tepentibus miscentur. Finis & terminus coctionis cuique medicamento est suus, citra & vltra quem medicamentum est deterius, quem tunc primum consequetur cum scopum nobis propositum attigerimus, vt si

medicamentum coquimus ad vires eius mi nuendas vel abigendas, si quantum satis est minuimus, aut abegimus scopum propositum iam sumus consequuti & conuenienter coximus: quæ methodus in alijs scopis teneri debet. Coctionis terminus in syrupis est cum lentore tenaci & crasso incipiunt filum facere, siue cochleari effundātur paulatim, siue inter digitos eius portio tractetur, vel cum marmori, aut vngui imposita eorum gutta concreta manet nec aquæ modo diffluit. In emplastris verò coctionis terminum expectat Galen. lib. 1. de compo. medica. per gene. cap. 4. post princip. & lib. 4. capit. 13. & lib. 6. cap. 15. & lib. 7. cap. 10. cū digitos à tactu non inquinant adhæsu tenaci. In alijs coquimus ad dimidias, vel ad tertias, vel ad quartas, coctio ad dimidias dicitur ad dimidiæ partis consumptionem, vel donec pars dimidia supersit, coctio ad tertias est cū ex tribus partibus vna est absumpta, sicuti ad quartas cum vna ex quatuor. Nonnunquā tamē Galen. hunc scopum neglexit, vt in diacodio lib. 7. de med. compo. secundum locos cap. 2. titulo confectio ex capitibus papaueris, dicens in coctione capitum papaueris terminum cocturæ esse non vt tertia, aut quarta, aut aliqua alia aquæ pars absumatur, sed vbi primum in totum

flaccida

flaccida fuerint facta: & consequenter ait: succum enim ipsorũ exprimere volumus, quod abũdè sufficiet ipsis flacidis factis. Ad eudem modum capita ranarum ad oleum ranarum, lumbrici ad oleũ lumbricorum, vulpes ad vulpinum, viperæ ad pastillos theriacos & ad oleum viperinum coqui debent, donec ipsa coquẽdo in aqua tabida reddantur. Lib. 6. de sani. tuend. cap. vltimo. in stomachicis emplastris scopum coctionis statuit Galen. mellis aut sordium crassitudinẽ, quem alibi plerunque in alijs sumendis obseruat. Atque hæc de coctione dixisse sufficiant, coctionem enim clariorem reddet trituræ cognitio, proinde si quid in hac parte deficere videatur ex præcedenti capit. cognosci poterit, nec identidem repetendum est nè de re eadem frustra bis agamus.

De assatione. CAPVT. XII.

ASsatio (teste Aristo. cap. 3. libr. 4. meteororum) coctio est quæ ab arido alienoque calore perficitur, ea verò quæ medicamentis adhibetur potius absumptio quam coctio existit, quia ipsa magis cõsumit humiditatẽ excremẽtosam quã crudam concoquat. Porro medicamẽtorũ, quædam assantur prunis, alia subcineribus, alia.

in clibano, alia super clibani testudinem: & hæ omnia vel nuda vel instrumento frixorio (quod sartaginē vocant) vel patella ignita, vel testa superposita, vel noua olla conclusa. Galen. lib. 4. de compo. medic. secundum locos. capit. 6. cadmiam cypriam sic assat, primum eam ad pollentæ magnitudinem cōfringit, deinde Attico melle subactā in vas fictile ore obturato, ac luto circum linito conijcit: foramine iuxta medium oris facto, vt id quod assatur transpiret: ipsum vero vas intra prunas erectū statuit, & prunis succensis vrit, atque vbi exignitum vas fuerit exhalationes per foramen elatas animaduertit, nam si nigriores efferantur amplius vrit, cum tamen albidiores apparent assationem sufficienter factam putat, ablatoque vasculo & dempto operculo assatum medicamentū eximit. Et licet medicamenta quæ assantur pauca admodum sint non tamen ob paucos vsus assationem patiuntur: siquidem assantur interdum (Mesuę testimonio in fine tituli de coctione) vt eorum vis per ignem augeatur quo pacto scilla assata vehementius purgat, eò quod per assationem acrimoniam vehementiorē desumit humiditateque ipsam obtundebat absumpta. Nam vt 4. de simpl. medic. facult. cap. 8. Galen. scribit, cuiusque saporis vi-

rES

res aquea retundit, atque hebetat humiditas. Qua de causa idem lib. 9. de compo. medic. secundum locos cap. 2. titulo pharmaca potabilia ab Asclepiade ad splenem, scyllā assat pro lienosis: efflagitantibus lienis affectionibus fortiora medicamenta, vt ex ipso Galen. elicitur 5. de simpl. medic. facult. capit. 12. in fine. & 13. metho. cap. 18. in principio. Scyllam Crysermus referente Galeno lib. 9. de compo. medic. secundum locos cap. & titulo præcitatis, luto oblitam assabat, Galen. tamen lib. de theriaca ad Pisonem cap. 13. sordidum id esse putat: qua de causa illam eo loco & primo lib. de antidotis cap. 9. triticea pulticula inuoluens calidis cineribus assandam subijcit pro pastillis scylliticis componendis. Est vbi & assatio, medicamentorum duplici, & interdum repugnante facultate prædictorum, facultatum vnam vel perdit vel minuit, alterā intendit atque auget: veluti mirobolanorū, & rhabarbari vim purgatricem cōminuit, adstrictoriam intendit. Ad eundem modum balanus myrepsica. 1. ben, vomitoriam virtutem assatione amittit, deiectoriam valentiorem seruat ob id, quia arido calore ignis, humiditas eius larga, atque nitrosa ad nauseam ventriculum cogens partim excoquitur, partim verò absumitur, remanente dun-

taxat virtute deiectoria, quæ cum à contraria non impediatur vehementius subducit. Alia simplici virtute insignita assando eam minuunt, vt cæpa sub cineribus assa minus acris & esui aptior euadit. Eadem ratione opium ob eius narcoticam malignitatem Apollonius & alij insignes viri torruerunt: sed quia torrendo omnis eius efficacia in sensum stupefaciendo aboletur, Galen. horum opinionem non probat 3. libr. de composi. medicament. secundum locos capit. 1. titulo quæ Apollonius ad aurium dolores scripserit: quo loco opium non tostum mauult, illius frigiditatem castorij caliditate obtundens. Ad eundem modum & psyllium, Mesues assando minus subductorium efficit, eo quod per siccationem humiditate lubrica spoliatur: quam subducendi facultatem simul atque causticam in ipsius medulla delitescentem Græci haud quaquam agnouerunt: toti eius corpori refrigerandi duntaxat virtutem tribuentes: quare hæc iudicio meo Arabum fuere inuenta. Assantur etiam medicamenta, vt sicciora reddita facilius & melius teri & læuigari queant, præsertim vbi celer vsus pulueris exigitur. Et denique alia assantur, vt maiorem exiccandi vim adipiscantur, qua ratione cuminum modice frigitur in vase fictili à Galeno libro

bro 4. de sanitate tuenda cap. quinto. quod coctum in camino, quam optimum sit ad diaspoliticum.

De ratione macerandi medicamenta.

CAPVT XIII.

Maceratio antiquis parum fuit frequens, posterioribus tamen medicis vsitatissima. Veteres tamen non nulla simplicia interdum liquore aliquo ante coctionem infunderunt, teneritatem maceratione ad coctionem celeriorem vel conditurам conciliantes. Veruntamen nostro æuo ob plurimos vsus medicamenta infunduntur. Primo, vt meliora fiant, malefica illorum facultate per infusionē correcta, qua ratione turbith, lacte caprino recenter mulcto maceratum, & post siccatum Mesuæ fit clementius, nec ventrem postea turbat: granum quoq; gnidium quod Mecereon nuncupant, & esula aceto macerata acrimoniam efrænem ac serrantem eidem Mesuæ deponunt. Serapio tamen cap. 361. esulam lacte bis aut ter mutato per diem & noctem macerat, verum de his lib. 3. de curandi ratione per medicamenti purgantis exhibitionem fusius à nobis differitur. Macerantur secun-

do medicamenta, vt ingenitam facultatem intendant sic turbith, succo cucumeris agrestis maceratum materiam crassam à partibus longinquis vehementius euocat: & hermodactilus aceto scyllino aut scyllæ succo, aut raphani tẽperatus, ab articulis noxios humores vehementius trahit: agaricus item Oximellite infusus purgantior euadit. Tertio infunduntur medicamenta, vt eorum vires in liquorem in quem infunduntur transeant: qua de causa rhabarbarum, agaricum, senam, epythimum & alia multa maceramus: quod multis de causis facimus, primo, vt facultas medicamenti ad distantiores prõptius peruadat, nam citius subeunt, ac distribuuntur liquida quam crassa, quomodo potu, quam cibo facilius implemur, ex aphorism. 21. sectionis secundæ, secundo vt potiones purgatrices fiant gratiores: quia liquida suauius quam crassa ab ægris sumuntur. Sic rhabarbarum infusum & colatum delectabilius multo quam in puluere aut infusum sed non colatum suscipitur. Tertio, vt duarum facultatum contrariarum vna ab altera seiungatur, sic rhabarbarum & mirobolani infusa virtutem deiectoriã liquori trãsmittunt, astrictoriam intensiorem seruant. Ob quem identidem scopum rosas & violas aquæ nouies infundimus, vt syrupus inde pur-

dè purgatorius fiat. Infunduntur in aceto, itidem in oleo quod ab ijs rosatum & viola-tum appellatur. Nec solum medicamento-rum facultas in liquorem transit, sed substā tiæ eius tenuior portio interdum etiam & crassior, vt casiæ fistulæ, thamarindorum & similium, præsertim si infusum per colum rarum transmittitur vel dum colatur valen-tius exprimitur. Infunduntur quarto medi camēta, vt nouam facultatem lubricam adi-piscantur, sic medulla colocynthidis muca-gine tragacanthi humectata promptè per ventrem totum lubricat, nec ventriculo nec intestinis adhæret. Ad eundem modum sca-monium oleo violato maceratum expedi-tè deorsum peruadit, nulla aut minima par-tium quas permeat noxa. Denique infundū tur medicamenta, vt tenerescant ad conditu ram vel coctionem faciliorem, qua ratione lignum Sanctū, spartam parrillam, radicem chinam diu ante coctionem maceramus, vt teneriora reddita melius, ac facilius coqui possint. Vnde Galen. lib. 2. de articulis com ment. 12. macerare pro mollire interdum accipi dixit: maceramus etiam eadem post coctionem per duas vel tres horas anteaquā colentur, eò quod si protinus cum ab igne tollimus ipsa colaremus magna fieret par-tium subtilium & ignearum dissipatio. Li-

quor

quor verò in quo macerantur medicamenta maximè varius existit pro varijs medicorum scopis. Est enim is aqua atque hæc fontana, vel pluuia, vel stillaticia, vinū, serum, lac, acetum, vel alicuius alterius medicamenti succus, vt supra fuit visum. Tempus similiter variū existit, videlicet, semihora, hora horæ etiā plures. 6. 8. tota nox, nox simul cum die, biduum etiam triduum, & interdū plurimorū dierum spatium, Galen. Libr. 4. de sanitate tuenda. capit. 8. semen abietis & flores populi macerat dies 40. sæpe etiam duos & tres in oleo, quotidie medicamentū dimouens in sole calido, postea oleum exprimit, quod digerens est & acopum. Lib. 7. de compo. medicam. secundum locos cap. 2. titulo confectio ex capitibus papaueris, Galenus medicamēta quæ humidiora & molliora sunt per diem vnum macerare iubet, accipit sub diei nomine etiam noctem: quæ vero duriora & sicciora existunt longiori tempore infundit. Nam vt quædam parum diu terenda & coquenda, sic infundenda: quòd virtutem habent imbecillam, vel superficiariam, vel rara contextura præditam. Animaduertendum etiam est, quod ex macerari debentibus, abijcienda sunt humentiora, & mollia valde, atque duriora, eo quòd, vt loco supracitato Galen. ait, humentiora aquo

sum

ſum & debilem aut craſſum quidem, ſed cru dum ſuccum obtinent, ſicciora verò nimis exiguum. Eadem dum infunduntur parum ſunt terenda, quia teſte Galeno lib. 4. de ſani ta. tuend. cap. 8. contuſa citius liquorem in quo infunduntur ſua qualitate vique infi- cient. Modus autem liquoris ad infuſionem ſatis erit, cum infuſa prorſus liquore tegan- tur: niſi ſimplicia nimis ſint arida & per mul tum temporis ſpatium macerari debeant, nam tunc paulò plus adijci debet. Et tan- dem pro varijs medici ſcopis addenda vel minuenda eſt ipſius liquoris quantitas. Ani maduertendum etiam eſt, quod quando ma ceratio per aliquod temporis ſpatium deco ctionem præcedit, tunc omnia ſimul infun- duntur, tam quæ exiguam, quam quæ im- modicam decoctionem patiuntur, quia il- la quæ immodicam tolerant decoctionem, ſuam vim exhibent rebus infuſis quæ exi- guam ſuſtinent decoctionem, & ita horum vis in decoctione ſeruatur, quod non fieret ſi primo infuſa non fuiſſent, ſed à coctione incepiſſent. Cum verò coquuntur, & non præcedit infuſio tũc ordo ſeruandus eſt, vt quæ maiorem ferunt decoctionem primo inijciantur, deinde quæ minorem, denique quæ minimam: quæ Muſæ docta eſt ſenten tia in examine ſyrupi de abſinthio. Verum

hoc

hoc Matthiolo non placet lib. 5. epistolarũ censens eos improbandos non esse qui in antidoto hamec, rhabarbarum per se macerãt, vt illud in fine decoctionis addant, sibi persuadentes rhabarbarum modicã vel nullam admittere coctionẽ. Nam cum vis ipsa exoluẽs, vel Mesuę ipsius testimonio, in tenuissimis rhabarbari partibus cõtineatur nulli dubium esse putat, si diutius decoquatur: quin tenues illæ partes in auream euaporẽt. Quorum (inquit Mesues) vis facilè resoluitur, quia vel imbecilla est, vel in superficie posita, vel in subiecto raro consistit, omnia huiusmodi parumper, nec valenter coquenda sunt. Qua propter illi opinioni Matthiolus non facile subscribit quæ tenet medicamenta diuersa, diuersarumq; partium, vbi simul macerantur, adeò simul coire, ac colligari: vt nulla post hac coctione possint earum dissolui facultates. Nam tametsi Mesues ipse scribat coctionem, medicamentorum facultates diuersas optimè miscere, adeò vt ex omnibus vna tantum resultet, ac velut concretam faciat actionem: iubet tamen si quæ fuerint imbecilla, ea minus valenter esse coquenda. Ideoque tum Mesues ipse, tum medicorum omnium cætus, exoluentem rhabarbari vim, potius maceratione: ex qua nihil per vaporem deperdi potest, quàm co-

ctione

ctione à cæteris facultatibus ſeparant. Atq; hæc eſt Matthioli opinio, quę ni fallor, multis modis confutari poteſt. Primo, quia in eadem antidoto plura ſunt medicamenta, quorum quædam ſimilem cum rhabarbaro, alia eò multo minorem coctionem ferunt; vt epithymum quod autore Meſue, parum diu coqui ſuſtinet, cum tamē rhabarbarum legitimum & integrum, eiuſdem Meſuę teſtimonio aliquandiu teri coquique viribus integris valeat. Rurſus abſynthiū, thymus, ſenna, violæ, roſæ quæ ſanè confectio hamec recipit, non maiorem rhabarbaro coctionem tolerant, quinimo nonnulla ex eis non paulò minorem. Quare ſi rhabarbarum veluti opinatur Matthiolus, ſolum per ſe macerandū foret, vt in fine decoctionis medicamento indatur, idem in his omnibus ſeruari deberet. Nam ſi hæc parū quemadmodum & rhabarbarum, & ex eis nonnulla interdum illo minus ebulliri patiuntur; non eſt cur hoc priuilegium ſoli rhabarbaro adſcribatur, cum ſit alijs multis cōmune. Quare pro antidoto hamec paranda multis vaſibus opus eſſet, quę aliorum infuſa excipiāt. Porrò Meſues iubet ſimplicia illa dies quinque ſero lactis macerare, non annotans num quædam per ſe, quædā vnà cum alijs eſſent maceranda, quod certè annotaſſet ſi ipſe putaret

taret

taret hanc diuisionem fore necessariã. Quare cum hoc Mesues non expresserit, clarè voluit cuncta illa simul esse infundenda. Ad hæc, coctio quæ post macerationem fit maiori ex parte breuis admodum est, & quæ medicamenta exoluere non valet, hic enim est vnus ex macerationis vsibus, vt per eam medicamenta tenerescant ad faciliorem coctionem subeundam. Id Mesues (quod miror Matthiolum nõ animaduertisse) in iam dicta confectione, significauit dicens, semel deinde feruefiant, quod idem est, ac si diceret, parum bulliant, aut vnum tantum feruorem patiãtur, in qua sola ebullitione ob temporis, quo fit, breuitatem, distributioni coquendorum medicamentorum, sic vt hæc prius, illa posterius inijciãtur, locus non datur, quod fere omnibus quæ post macerationem coquuntur peculiare esse arbitror: talibus nanque longo ad coctionem tempore opus non est. Quod si in syrupo de absynthio infusa ad dimidias coquere Mesues pręcepit, ob id est, quia illa prius macerauerat 24 horas in vini albi antiqui boni odoris, & in succi cydoniorum añа lib.ij. & semisse. Et cydoniorũ succus sua stypticitate impedimẽto est, nè medicamẽtorũ vires euaporẽt, detinens nè illæ dispersæ aboleantur. Sed sine tali succo, quòd sola maceratio id efficiat

ciat hinc fit manifeſtum: roſæ præſertim recentes, autore Meſue coctionem nullam ſuſtinent, facultas namque earum tergens & purgatoria, mox igne reſoluitur adſtringenti iam manifeſtiori remanente: ſed ſi prius vna cum alijs infuſæ fuerint ſuſtinent. Siquidem Meſues in prædicto ſyrupo. 24. horas maceratas ſimul cum abſynthio & nardi ſpica in vino & ſucco cytoniorum, coquit ad dimidias liquorum. Illas itidem in electario hamec vocato, præmiſſa iam dicta circunſtantia, coquit. Nam cum dies quinque in ſero lactis ſufficiente, eædem roſæ vnà cum rebus alijs maduerint, iubet deinceps omnia ferueſacere, tanquam coctionem ipſę iam tolerantes, quam antea quam dilueren. tur non tolerabant. Ex quibus fit manifeſtum (id enim probare intendebamus) quòd quando coctionem maceratio antecedit, ordinem coquendorum ſeruare opus nõ eſſe. Nec Matthiolo in hoc eſſe aſſentiendum: ratio eſt, quoniam medicamenta diuerſa, diuerſarumque partium, vbi ſimul macerantur adeò vnà coeunt, ac colligantur, vt nulla deinceps coctione poſsint illorum vires diſſolui.

*

De ratione distillandi medicamenta.

CAPVT XIIII.

DIstillatio est extractio humoris plantæ alicuius vel animalis partis à sicco terreo vi caloris facta: humoris dico, quia stirpes vel animalium partes in quibus nihil prorsus humoris inest distillari non possunt: quandoquidem ex terra elementari siccissima, & durissima & ossibus iam planè terreis, ac ex plantis in totum exsuccis, atque aridissimis tolli vaporem non videamus: cum vapor mediæ inter aquam & aërem naturæ existens non eleuetur nisi ex corporibus humiditate aliqua præditis. Vi caloris dixi quia quæ per filtrum, arenas, vas figulinum crudum, seu hedereaceū, vel lapideum fiunt humoris transmissiones, distillationes non sunt nisi abusiuè loquentibus, eo quòd calore non efficiantur. Distillatio antiquioribus medicis inusitata fuisse videtur, licet eius nonnulli ex Arabibus meminerint, vt Mesues libr. 2. titulo de absynthio quo loco hæc scribit verba. Aqua autem sublimationis eius fit, sicut aqua rosata & similia quæ fiunt in vasis sublimationū. Et rursus titulo de rosis de ea loquitur dum ait. Aqua earum quæ fit per infusionem est mundi-

mūdificatiua, absterſua, ſolutiua, & ea, aquæ fit per ſublimationem eſt multæ conforta-tionis. Ex hac roſata aqua diſtillaticia iule-pum componit lib. 3. cum ait iulepum alte-rū roſatum fit ex aqua roſarum libris iij. ſac cari albi libras ij. Quæ verba de alia aqua quam deſtillaticia intelligi non poſſunt, eo quòd parū antea de eo iulepo egerat, quod ex roſarum infuſione componitur. Ex qui-bus perſpicuum fit allucinari illos medicos pariter & ſeplaſiarios, qui arbitrantes diſtil latarum aquarum Meſuem fuiſſe ignarum in ſyrupo glycyrrhizæ aquam diſtillatitiā roſaceam inijciendam eſſe negant, cum ex prædictis conſtet Meſuem eius non fuiſſe immemorem: quare in prædicto ſyrupo hæc & non infuſio roſarum, veluti nonnul-lorum opinio fuit eſt imponenda. Meminit etiam diſtillationis Auicen. 11. 3. tracta. 2. cap. 4. cum ait, ſupra bugloſſam verò ſis au-dax & non timeas malitiam eius, & vtere ea cum omni quod in potu tribuis, & in cibo das: etenim iam cucurrit conſuetudo, vt in potu tribuatur, & ſimiliter aqua eius diſtil-lata. Hæc Auicenna vt hinc cunctis pateat aquas ſtillare rem nouam non eſſe, ſed Aui-cennæ & Meſuæ tempore vſam fuiſſe. Ve-rum iſti non admodum nec nimio opere, ſed perfunctoriè de diſtillatione egerūt. Poſte-

riores tamen ea frequentissimè sunt vsi propter hominis ætatis huius delicias & nouorum morborum malignitatem. Adeo vt diligenter distillatarum aquarum vsus in affectibus quibusdam, decoctis non parum anteferri debeat. Siquidem in ardentibus febribus & æstiuis feruoribus sitim valenter restinguere, & potantis gustũ oblectare, aquę distillatæ queunt, si potus ex eis paretur. Præsertim si illæ iulapio cichorij aut oxalidis, aut granatorum, aut violarum, aut ex acido limonum mixtæ bibantur. Idem præstant in pestiferis febribus, & ad hæc cor, & principalia membra roborant ac omnẽ malignitatem ab eis depellunt. Valent itidem eædem ad oculorum collyria & ad oxirhodina in capitis dolore, & phrenitide ac ad epithemata in cordis ac iecinoris affectibus paranda. Quos vsus nec herbarum ipsarum succi nec decocta præstare possunt, aut si præstent non adeo aptè commodèque præstant. Conducit præterea non parum distillatarum aquarum artificium ad florum, & nonnullarum herbarum odores seruandos: quales illi sunt qui ex floribus rosarum, citrorum, aurantiorum, myrti, loti vrbanæ, atque ex alijs plantis quarum flores suauissimè olent, spirant: quorum distillatæ aquæ quantum ad medicum vsum cõducant, omnibus

nibus incomperto esse arbitror. Atque hæ quidem rationes extitere, quæ medicos impulerunt ad destillationē efficiendam. Quā naturæ imitatione inuenerunt, vapores ex terra, sed præcipuè ex aqua & aquosis corporibus vi solis & astrorum atque caloris in terra conditi in mediam vsque aëris regionē eleuantis: cuius frigiditate in nubem coguntur, quæ soluta in pluuiam distillat. Hanc naturæ aquam separandi rationem ars imitata humida corpora alambico imponit, postea vi ignis tenuat in vapores, qui capitelli frigiditate coacti in aquā alueolo in fine capitelli inserto coeunt, quæ mox per eiusdem rostrum in subiectum vas receptorium stillat: non secus ac vapores ex sanguine, & ex reliquis humoribus, ac ex solidis partibus cibo atque potu caloris natiui, aut aduentitij vehementia in cerebrum elati, & eiusdem frigiditate in pituitam vel pituitosam substantiam densati in subiectas partes defluunt, & quanto intensior fuerit frigiditas tanto magis, ac minori tempore condensatio vaporū perficitur. Quod intelligentes solertes pharmacopolæ alambicorum sumitates pannis frigida aqua humectatis per ministros assiduè refrigerare præcipiunt. Vt vapores sursum elati citius ac vehementius concrescāt. Iidem pharmacopolæ non leui diligentia

ignem distillationis autorem seligunt, vt sit ex carbonibus omnino accensis & semiustis à quibus malignitas omnis antea expirauerit. Fugitur, qui ex suffocatis & semiaccensis lignis aut carbonibus consistit, eo quòd qualitatem quandam alienam rebus distillandis, vt & coquendis aut aliter præparandis impingat. Sed multò magis à distillatione abigendus est ignis ille, qui accenditur ex pannis, aut carbône terræ, aut ex cespitibus, aut bubulis stercoribus siccatis, vel alicuius alterius animalis fimo, qui non solũ alienam qualitatem, vt prior, verum etiam graueolentiam quãdam aquis distillatis imprimit. Qua de causa distillatio quæ à putredine fit, vel fimi equini vel alterius cuiuspiã rei, vel calce paulatim irrigata & sæpe mutata etiam sichymistis in multis fuerit ex vsu, medico tamen recipiendá nõ est præsertim si intra corpus res distillata est suscipienda, nã admouẽdorũ minor habetur cura. Alambica etiã quę distillationis vasa habẽtur multi generis existũt, cuprea, fictilia, vitrea, atq; plũbea, ex his cuprea præ cæteris vsurpantur, magisq; in vsum veniunt: quod sine multo sũmptu parẽtur & ad stillandũ sint aptissima: quæ benè extersa, ne quid æruginis habeant, & probe stannata puro stanno, atque sincero esse oportet. Talia nanque securissi

ma sunt & sine noxa aliqua eis quotidie vtimur, vt alibi copiosiùs ostendimus. Atque hinc est quòd Galen. stanneis vasis ad multorum medicamentorum repositionem sine vlla noxæ formidine vtatur. Nam libr. 3. de compo. med. secundum locos. cap. 3. nõ longè à fine succum extractum ex tribus differentijs malorum punicorum, austeris, dulcibus, & acidis in vase stanneo depositũ, modicè coctum adseruari oportere scripsit. Et lib. 6. eiusdem operis cap. 1. titulo stomaticum ex Besa Heræ in fine ait. Cæterũ pharmacum hoc in stãneo vase reponitur, quod stomachicis & dyssentericis ibidẽ conferre dixit. Et lib. 1. de antidotis capit. 8. pastillos viperinos in stanneo vase recondi debere dixit, donec theriaca sit conficienda. Et eandem theriacam in eodem stanneo vase suo tempore reponi lib. de multitudine. c. 8. idẽ Gale. scriptum reliquit. Hali Abb. itidẽ lib. 10. practicæ cap. 3. cui titulus est de regimine simplicium medicaminum, & quomodo in compositis sint ponenda, inquit, sicque deinceps sublata, in argenteo condentur vase aut fictili stannato. Nec refert Galenum loco præcitato dixisse stannũ plumbo adulterari, quod fugere oportet: nam his verbis non vult quod purum, atque sincerum stannum est, vsurpandum non esse, cum eodem

in loco ipse ad pastillorum viperinorum repositionem illo sit vsus, sed tantum aduertit stannum quod in medicinæ vsum venire debet sincerum purũq; esse oportere & haud quaquam plumbo adulteratũ. Nam plumbum noxium existit, & ob id fugiendum. Quo puro atq; sincero stanno plurimo Hispania abundat. Atque de hoc alambici genere hæc dicta sufficiant, superest, vt ad alia transeamus. Fictilia ex luto debent esse puro, atque diligenter cocto, probèq; stannato qualia Talobricana habentur, sed istis meliora sunt vitrea, quia puriora & densiora, verum nisi paulatim incalescant & refrigerentur prius quam aëri frigido exponantur celerrimè franguntur. In quo etiam discrimine sunt terrea, ob quam causam chariora habentur, ideoque neutra à nostri temporis seplasiarijs vsurpantur, nisi à per paucis admodum, qui sciunt luto sapientiæ vocato paulatim circumlinire ac siccare quantum eius vasis ignis violentia attingere debet. Plumbea omnium nocentissima sunt, atque ob id minimè vsurpanda, dicente Galeno libr. 7. de compo. med. secundum locos cap. 2. aquam per plumbeos canales delatam dysenteriã facere. Quæ si vera sunt maior metus inerit ab aqua plumbeis alambicis distillata. Quare perperam, & cum maximo ægrotantium

incom-

incommodo faciunt illi seplasiarij qui capi
tellis plumbeis tanquam frigidis, & ad va-
porum condensationem aptioribus in aqua
rum distillationibus vtuntur. Accedit eo q̄
cærusa non pauca in superficie concaua plū
bei capitelli in ipsa distillatione gignitur:
quæ aquas ipsas inficit & magna ex parte
lacteas redit donec subsederit. Nec tamen
hoc in loco omittendæ sunt distillatio-
nis differentiæ, quæ plurimæ & numerosæ
admodum habentur: nos tamē de his in præ
sentia agemus quæ medico vsui existunt, il-
lis omissis quæ chimistis vtiles esse possunt.
Primus modus fit fundo vasis rem distillan
dam continenti inflammato per calefactam
& veluti ignitam fornacem, quæ interdum
velut in arcem struitur & eius lateribus va
sa inseruntur penetrantibus intro fundis la-
tioribus res distillandas continentibus. Se-
cundus fit per aquam in maiori vase ebulien
tem & alambici fundum cōtingentem, quē
modum licet Galenus agnouerit nesciuit
tamen ad hunc vsum accommodare: conten
tus olea & vnguēta duplici illo vase calface
re. Tertius & quartus à duobus istis accepti
sunt, in quibus nec ipsa fornax ignita partē
imam vasis attingit vt in primo, nec vt in se-
cundo ebuliens aqua, quod fit constructo
alio vase oblongo instar vacuæ cuiusdam co

lūnæ cuius ima pars fornacē vel aquā ebulliētē attingat, suprema vas in quo herbæ vel res distillādæ ponūtur suscipiat. Et sic in tertio, alambici fundū calfit per ignitū aërē, in quarto p aquæ vaporē accēsum sursum p cauitatē colūnę elatū: dicit hic quartus modus balneū Mariæ à muliere Maria noīe in Germania huius balnei inuētrice, alij maris balneū vocāt noīe accepto à mari, eo q magna adest aquę copia, quę in magno vase ebullit, sed siue hoc siue illo modo dicat nihil refert. In hoc tn̄ tres priores modi cōueniūt qđ minima caloris violentia liquores ab herbis extrudunt, qa aqua feruēs aut ab ea, vel à prunis elatus vapor mitius agūt in rē distillādā quā ignis ipse p se, atq; ob id Gale. in diplomate illo vase sup. c. 11. explicato liquat, calefacit, & coquit ea quorū vires ignis violētia dissipari nō vult. Nō đfuerūt etiā q ex iunioribꝰ medicis distillatarū aquarū vires tāquā euanidas suggillare sunt ausi, dicētes à qualitatibus primis omnes nasci operationes illis dūtaxat demptis, qui ab occulta proueniūt facultate. Qualitates autem primæ licet via quadā regia & certo tactu dignoscātur, plurimū tamē ad earū notitiā cōferre aiūt sapores, atq; odores, nā alterius cęcæ & occultæ qualitatis operationes Galen. teste lib. 1. de comp. med. secundū genera, c. 16. & 6. lib.
de


de simp.med.facul.tit.de Alyso, & titul. de Abrotono. & lib.9.tit.de lapidibus in prin. nec sapore, nec odore, nec calore nec vllis sensuũ qualitatibus, sed operibus solũ perci piũtur. Qualitates verò primas cũ secundis, atq; tertijs ita cõnecti dicunt, vt his mutatis, mutari etiã primas sit necesse, & ex cõsequẽ ti omnes operationes quę per ipsas vel cõsta bãt, vel efficiebãtur. Cũ itaq; in multis aquis per chimicã artẽ ab herbis extractis videant odores, atq; sapores dissimiles & quandoq; etiã cõtrarij (nã aqua ab absynthio dulcis, à menta & ozimo mali odoris existit) rationi cõsonũ videtur vires & operationes in ipsis nõ remanere quę erant in toto cõposito. Nã cũ in absynthio tres agnoscant sapores acer, videlicet, astringẽs, & amarus, in aqua verò eius distillatitia leuis tãtũ ac veluti fatua dul cedo sentiatur asseuerare sunt ausi, simul cũ trib⁹ illis saporibus vires quę per illos iudica bãtur per sublimationẽ fuisse amissas, Tãtũ potuit istorũ ratio, vt ea nostri tẽporis medi cis distillatarũ aquarũ vsum suspectũ formi dolosumq; reddiderint, vtẽtibus herbarũ de coctis, potius quã ipsarũ distillatitijs aquis seu liquoribus: quare cũ hęc res nõ leuis mo mẽti existat decidẽda ista cõtrouersia est nõ nullis traditis theorematibus quibus tota quæstio dissoluetur, & quid in ea verè te-

nen-

nendum sit elucescet: & vt rem ipsam aggrediar sciendum in primis est, aquas ab herbis frigidis vel crassa substantia constãtibus extractas, vt cichoreo, lactuca, portulaca, solatro, oxalide, bugloso, rosis, hisq; similibus, suas vires & qualitates integras seruare, quas odores ac sapores pristini declarant. Ratio est quia harũ rerũ aqueæ & frigidiores partes, quę solæ ab istis medicamentis expetuntur ab immodico calore deperdi nõ possũt, sed integræ per alambici rostrum descendentes in receptorio vase colliguntur. Quæ verò ab herbis calidioribus vel tenui substantia præditis proijciuntur vt absynthio, ozimo, menta, violis, lilio, vires pristinas & qualitates amittunt, quã rem clarè indicat odor ac sapor mutatus cuius causa est, quod tenuiores ac calidiores partes ob immodicum assiduumq; calorem euanescũt, solæ aqueæ seruantur, in quibus horum medicamentorum operationes non consistũt. Quare meo iudicio Musa reprehendẽdus venit in aquarum examine putans herbas frigidas & humidas suam non seruare frigiditatem & humiditatem, eò quod ex igne in alambicum recepto non nihil caliditatis acquirũt, suam ab aqua ipsa auferentis naturam: quia hæc caliditas ascititia est, quæ breui perit, & naturalis frigiditas perstat, quemadmodũ de-


meco-

meconio calefacto. 3. de temperamentis capit. 3. literis Galenus prodidit, quod calorē animalis refrigerare est potens, & ob hanc causam necis periculum afferre. Aquæ tamē per tres posteriores modos extrusæ quantūcunque ex calidis & tenuibus herbis elicientur, proprias reseruant vires & qualitates, ac præsertim quæ per quartum distillationis modū, quem balneum Mariæ diximus nuncupari extrahuntur. Ad quem modum ex absynthio aquam extraxit Manardus in fine. 15. epistolarum. & lib. 19. epistolarum. 2. pristinum amarorem adseruantem. Ratio est quia miti ignis illius distillationis calore tenues & raræ medicamenti partes, nec difflari, nec deperdi possunt, sed potius vniuersæ colliguntur & adseruantur integræ. Sin verò frigidæ & crassæ herbæ per hanc distillationis formam eliquentur, solæ tenues & aëreæ partes stillabuntur, crassæ vero & frigidiores, quia non nisi vehementissimo calori cedunt in fundo vasis vnà cum fœculenta parte manebunt. Ex quibus intelligitur herbas frigidas & crassas melius communi isto modo qui per alambica cuprea benè stannata fit quam alijs distillari, raras vero, atque tenues per secundum præsertim, sed & per tertium & quartum, licet his tribus modis distillata parum diu seruari possint: vt pote,



quia

quia excremētosa & minimè defœcata existunt. Nec omittendus est hoc in loco quintus distillationis modus, qui fit per vas magnum æneum cucurbitæ magnæ formam referens, quod igni incubans res distillandas continet huic collum crassum trium dodrantum inest, & collo insidet capitellum etiam æneum parte sui summa latescens, in qua est veluti situla aquam frigidam continens, vt celerius vapor largus à capitello refrigerato concrescat, & in aquam densetur, quæ foras in vas receptorium stillat per rostrum intra capitellum penetrans, est & aliud rostrum in situla per quod aqua in ea contenta postquam calefacta est vacuatur. Alij loco colli, & capitelli fistulam ex ferro albo (quod Hispani, hoja de lata, seu hoja de Flandres vocitant) vel ex alio metallo construūt per longam in multos anfractus instar tubæ ductilis vel serpentum contortam, quam, magna sui parte in aquam frigidam mergunt; tales modi sunt Hispanis pharmacopolis extrahendi liquorem ex vino quem ipsi aquam vitæ vocitant: dicturi potius vitis. In omni tamen distillatione hæc scire perpendereque oportet, quod pars rei quæ distillatur natura tenuior, leuior, rarior, liquidior, ac magis superficiaria vi caloris primum tenuata tollitur, postea humidior & aquosior, quòd si



vlterius

vlterius persistat distillatio, id etiam humidum rei aqueum quo tanquam visco terrenæ corporũ partes iunctæ cohærẽt, quodq; rebus omnibus ex elementorum permistione cõcretis est commune colliquatur. Quomodo teste Galeno libr. 2. prognost. comment. 28. calor in nobis valentior nouam, ac teneram pinguedinem primo absumit, dein de duriorem ac vetustiorem ab his deinceps nouam ac teneram carnem, mox duram, ac vetustam, postremo iam solida corporis mẽbra depopulatur.

De vsu & ratione lotionis simplicium medicamentorum.

CAPVT XV.

LOTIO purgationis species existit, quæ aqua, vel aliquo alio liquore sępè mutato perficitur, hanc medici ob multos scopos vsurpãt, primo, vt sordes aliquorum medicamentorum detergantur, qua de causa herbæ, semina, radices, & reliqua medicamenta si puluere vel luto sunt polluta, lauantur aqua fontis, donec sordes omnis fuerit ablata, quod cognoscetur cum aqua pura manet, atque clara. Hæc lauationis differentia omnibus sordidis medicamentis communis est

nis est, & consueta valde, etiam si sint rosæ, violæ, adiantum, intubus, vel aliud cichorij genus, quia paruarum virium existit. Nec credendum est Mesuem de hac intellexisse, cum dixit: vim superficiariam dictarum herbarum lotione dissipari, sed de altera potius quæ vehemẽtiorum est virium & simul intus & foris fit, seu per totam rei lauãdæ substantiam perficitur. Lauantur secundo medicamenta, vt eorum facultas velut in profundo delitescens in apertum se prodat qua ratione cadmiæ etiam non vstæ & aliorum quorundam tergendi occultam vim lotio detegit. Galeno lib. 4. de compo. medic. secundum locos, titulo de coquentibus iuxta principium. Tertius lotionis scopus est, vt virtus medicamenti malefica amoueatur, & quæ efflagitatur supersit, sic teste Galeno libro, 1. de composi. medic. secundum genera cap. 8. vsta omnia si lauentur, moderatiora fiunt & acrimoniam vstione acquisitam deponunt ac minus mordacia efficiũtur. Qua ratione lib. 9. de simpl. med. facul. in fine. æs vstum quia acre est, & subastringens lauat Galenus, vt cicatricem inducat in carne molli, nam in dura ipsam inducit citra lotionem. Et Mesues semen vrticæ succo tragacanthæ lauat ne in transglutione fauces, & œsophagum adurat, licet Galeno libr. 6. de

simpli.

ſimpli.medicam.facul. non vehementer calefaciat, ſed tantum eſſentiæ tenuitate & detergendi facultate titillet, atque ob id ventrem ſubducat. Quod ſi partes vrtica herba contactæ pruriunt, id non caloris acrimonia, ſed punctura fit minimorum aculeorũ quibus tota ſcatet herba. Ob hanc identidẽ cauſam cyaneum lapidem & armenum idẽ Meſues abluit, vt vim vomitoriam moleſtã amittant,& tantùm clementer fiant deiectoria. Quarto denique lauantur medicamenta, vt à liquore in quo lauantur facultatem aliquam nouam acquirant, qua de cauſa Galeno.lib.1.de comp.med. ſecundùm genera.cap.18.poſt medium, metalla aqua lauantur, ſi affluens in vlcus humor eſt acer & mordax,vino auſtero, ſi humor affluit largior, aceto vel aqua marina ſi vlcera ſunt tumida & cum labijs craſsis & calloſis attenuationem multam efflagitantibus: ſicq; in reliquis liquorem mutat pro affectus & partis natura. Ad eundẽ modum Meſues aloëm ex aqua aromatum lauat, vt potentius ventrem roboret, ex decocto autem valenter purgantium vti agarici & turbit, vt purgantior euadat. Sic etiam calida ſucco refrigerante vt cucurbitæ & lactucæ lota, frigiditatem, depoſito aut ſaltem remiſſo calore induunt: è contrario verò frigida ſucco calfa-

ciente: & in vniuersum liquor quiuis cæteris medicamentis in se lotis vim suam ad portionem largitur. Modus vero medicamenta abluendi, non vnus omnibus existit, de singulis tamen sigillatim agendum à durorum & mollium lotione exordio sumpto. Quæ promptè liquantur, vt oleum, cera, pix, resina, Galeni testimonio cap. 15. lib. 2. de simplic. med. facul. modicè sunt calfacienda, ac mox infundenda in vas magnum lati orificij, semiplenum aqua tepenti purissima, simul & omnis qualitatis experte, quando nimirum medicamento nullam nouam facultatem addere volumus, sed tantum ipsum purgare, aut facultatem eius mersam detegere, aut noxiam amouere: deinde corpus quod lauandum est in aqua ipsa terito, tundito, frangito, manibusq; impense subigito: vt videlicet vnaquæque pars abluendi medicamenti aquam tangere possit, vt in eam suam qualitatem exuat: denique aqua hac affusa in sinceram aliam vasi infusam, recalfactum ipsum medicamentum immitti debet, & rursus admodum diu contundi, ac mox deinde tertio, quarto, ac sæpe deinceps faciendum donec noxiam illam qualitatem quam tollere volumus in aquam deposuerit: quod cognoscetur cum aqua, nullam ex loto medicamento qualitatem, (quam gustus,

ſtus, viſus, aut olfactus percipere poſsit, am plius reſeruet. Oleum tamen lauando mi- nus eſſe verberandum, quam ceram, picem, reſinam, Galen. cenſet ne adeo aquæ miſcea tur vt ęgrè poſtea ſeparari queat: ſed ita ver bera, vt dum quieſcere pauliſper ſiueris in- natans detrahere poſsis, quod illi ob inna- tam leuitatem promptum eſt. Hac lotione oleum non modo mordacitatem & ſalſugi- nem exuit, ſed etiam fit candidius, aquea ac ruſa eius ſubſtantia ſeparata ac deterſa: lotũ id oleum componendis frigidis oleis vt roſa ceo, violaceo, ac nenupharino & vnguentis albis ac frigidis optimum eſt ac ſuſcipien- dum. Et pharmacopei qui illo in compoſi- tionibus prædictorum medicamentorum non vtuntur merito ſunt taxandi; licet om- phacinum lotione non admodum egeat: at- que hunc in modum omnia quæ calfieri & fundi ſuſtinent lauare docet Galenus. At ſi quæ ſint lapidoſa & dura velut cadmia, æris ſcama, æs vſtum, lapides, oſſa, teſtæ, ceruſa, lytargiros, plumbum, chalcitis, ſpodium, pompholix, ſtibium, cianus, calx, & metal- la cætera: eiuſdẽ Galeni teſtimonio tenuiſsi mè ſunt comminuenda, mox in aqua fonta- na & puriſsima multum diuque terenda, ſubinde tandiu aqua eſt effundenda quoad nihil in ea innatet, maneatq; prorſus ipſa à

contriti medicamenti qualitate immunis. Nam quandiu aut qualitatis eius quippiam in gustu apparet, aut aliquid innatat tandiu terendum atque infundendum est: hocque pacto quoduis medicamentum lotum, mordacitatis prorsus expers euadet. Verũ aqua non prius est abijciẽda, quam corpus quod lauatur quiescendo in fundum vasis subsederit: quod prędictis terreis corporibus ob insitam grauitatem facilè euenit, sicuti oleo & pinguibus innatare ob natiuam ipsorum leuitatem. Lib. 9. de simpl. med. facul. titul. de differentijs nominatæ passim terræ modum docet Gale. lauãdi terram prout in Lemno insula lauabatur, ait enim ipsam aqua macerandam esse atque in lutum redigendam, & post valentem eius conturbationem paululum quiescere sinendam, mox aquam super natantem auferendam, deinde quod sub ea est lutum tollendum, reliquum quod ad imum subsedit lapidosum, scilicet & arenosum vt inutile & superuacaneum abijciendum, & lutum illud pingue postea siccandum, quod dum mollis ceræ consistentiam accipiebat in paruas portiones diuisum in Lemno insula, vt idem Galen. refert Dianæ sigillo signabatur. Lauandi vices quidam numero definiunt vt pompholigem & hæmatitem, ophtalmici medici septies lauare iubebant

bebant pro oculorum collyrijs. Calcē aqua marina bis terve per æstatem sub æstu caniculæ libro. 6. method. capit. 2. in medio pro puncto neruo lauat Galen. Aloēm lib. de compos. medic. titul. de coniunctis humoribus purgandis. §. hiera picra, Galeni ter lauat Actuarius. Quam sententiam Musa sequitur in examine pillularum alephanginarum. Quonā pacto metalla lauari debeant docet Galen. lib. 4. de compo. medic. secundùm genera. cap. 10. quo in loco in metallorum lotionibus consumere præcepit 24. horarum tempus, dum inquit: conuenire toto die diligenter conterere quamlibet rem metallicam, & ipsam mox cum liquore per noctem relinquere, ac postero die manè illum auferre, & alium mox superfundere, postea rursus terere, & similiter illum sequenti aurora liquorem emittere: docetque medicamenta hæc & alia quæ lauatione indigent æstate esse lauanda: quod similiter obseruauit in calcis lotione. lib. 6. method. capite. 2. & quod de metallicis ait, idem de lapide Cyaneo & armeno est intelligendum, nam conuenit ipsos æstate lauare, & in qualibet lauatione. 24. horas consumere.

De ratione lauandi aloëm.

CAPVT XVI.

IN lotione aloës magna est disputatio inter nostri temporis medicos & myropolas, circa aquæ effusionem magnoperè contendentibus inter se aqua in qua lauatur effundenda, nè sit, an potius seruanda, qua de causa huic controuersiæ integrum dicare caput constitui, vt rectius præsens disputatio decidatur & veritas ipsa clarius elucescat, quod fiet animaduersis prius causis ob quas aloë lauari præcipitur. Medici ob tres præsertim scopos aloëm lauari iusserunt, scilicet, vt à sabulo & à fæcibus emundetur, & vt aliqua illi virtus addatur vel intendatur, & denique vt duarum ipsius facultatum roborantis, videlicet, & subducentis fiat separatio. Primum docuit Dioscor. in fine cap. 22. lib. 3. cum ait, lauatur vt quod sit arenosissimum tanquam inutile subsideat, & leue ac pinguissimum assumatur. In eadem est sententia Plin lib. 27. cap. 4. in medio. atq; in hac lauatione nullus hactenus dubitauit aquam exhauriendam esse cum scopus sit partes impuras atque excrementitias tollere, non facultatum aliquam eius intendere vel amouere. Lauatur tunc eo modo quo terram lauare docet Galen. lib. 9. de simpli.

med.

med.facult.videlicet,vt primum ipſa mace-retur,aqua nullam facultatem medicamen-toſam habente, & vbi poſt eius conturbatio-nem per aliquale ſpatium quieuit & aloë ipſa conſedit, effundatur quæ innatat aqua & quod pingue & puriſsimum eſt colliga-tur, quod verò lapidoſum & arenoſum ſub eo reſedit abijciatur. Ex quo intelligitur pu-riſsimam aloën qualis ſucotrina à Dioſcori de iudicatur hac lotione non egere. Ablui-tut ſecundo aloë vt virtus eius intendatur, quam lauationem tetigit Meſues titulo de lotione cum ſic ait: lotio facultatem medica mentorum valentiorem efficit vt aloë ex aqua aromatum lota potentius roborat, ex decocto autem, valenter purgantiũ (vt aga-rici, turbit, & ſimilium) ſi lauetur purgan-tior euadit. Atque cum ob hunc ſcopum la-uatur, omnes medici conſentiunt aquam nõ eſſe effundendam ſed cum ipſa aloë coimbi bendã: de hac intelligẽdus eſt Gale. lib. 8. de cõp. med. ſecũdũ locos. c. 2. in med. tit. aliud vt Lãpon, Peluſiota, qñ ſic ait: accepta aloës Indicæ libra vna, aquã pluuiã ſufficientẽ ſu perfundito, & ſub caniculæ æſtus donec re-ſiccetur terito. Meſues hãc operationem lo tionẽ vocat impropriè tamen & abuſiuè, & latius ſumpto vocabulo, cũ verius infuſio, maceratio, ſeu coimbibitio ſit dicenda, quia

 rei

rei quæ illi miscetur facultates impertijt, proprijs intus in ea manentibus. In tertio scopo medici tota vt aiunt via dissentiunt: lauatur enim tertio aloë (quemadmodum dictum iam est,) vt duarum facultatum fiat segregatio. Nam aloë penè sola purgantium medicamentorum, Plinij sententia cap. 4. lib. 27. aluum soluit, & stomachum confirmat, quas duas atque contrarias facultates eidem tribuit Galen. lib. 7. metho. c. 11. & lib. 8. de compo. med. secundùm locos. c. 2. ac medici quando solam confirmantem exposcunt ipsam à subducente seiungunt, quã rem lotio pręstat, vt docet Galen. locis citatis, & ad hæc lib. 3. de simpli. med. facul. cap. 15. dicens; Facilè est colligere in aloë mistam inesse facultatem: at si quod expurgat ab eo quod non purgat segregari posset non etiam admiratione afficeret: quanquam id sanè quodam modo præstari queat, nam si aloë accuratè lauetur aut debiliter, aut planè nihil ventrem subducet. Circa hanc lotionem dubitant nostri temporis medici; vtrũ aqua in qua lauatur abijcienda sit, an potius coimbibenda & cum ipsa aloë incorporanda. Qua in re tres adsunt sententiæ. Prima tenet, aquam esse asseruandam & cum aloë coimbibendam. Secunda, solã lotionis aquã esse suscipiendam & exiccandam vsuiq; re-

con-

condendam aloë ipsa abiecta. Tertia, ipsam aloë relicta euacuandam. Nos tamen in præsentia quæ istarum sit verior disquiremus & quid in hac re sit faciendum monstrabimus. Primam, Galeni sententia fulciri nituntur qui lib. 8. de compo. med. secundùm locos cap. 2. in medio sic scriptum reliquit. Accepta aloës Indicæ libra vna, aquam pluuiam sufficientem superfundito & sub caniculæ æstibus donec resiccetur terito, atq; vbi primo per hanc aquam aloëm ipsam edulcaris, postea eam quæ ab aromatis excolata est aquam affundito, &c. quibus verbis clarè voluisse Galenum asserũt aquam esse asseruandam & non effundendam. Addunt etiã aloën succum esse qui totus in aqua dissoluitur ac liquescit, & si aqua euacuetur vna etiam cũ illa eum euacuari ac diffundi. Alij tenent aloëm post modicam in purissima aqua agitationẽ horæ quarta parte aut paulo diutius esse, subsidere sinendam, & tunc quod clarius supernatat inclinato vase in aliud simile, sed minus per colum setaceum esse transuasandum, post sole, aut igne lento esse siccandum, idemq; secundo atq; tertio esse cum noua alia aqua agitandum & siccandum & prolata aloë vtẽdum. Verùm meo iudicio neutra istarum opinionum vera est. Tertia quam veram esse arbitror, te-

net aquam: cum post modicam conturbationem quieuerit esse euacuandam. Quæ lauādi ratio planè est à præcedēti diuersa in qua aqua sola seruatur, in hac tamen abijcitur. Vt hanc sententiam veram esse existimem, mouet me primum Galenus, qui libro. 3. de simpl. medic. facul. cap. 15. scribit in hūc modum. Si aloë accuratè lauetur, aut debiliter aut nihil soluet: idē vsu venit æris squamæ, ærisq; vsto, quippe quæ nos indiligēter lota: obscurā modo purgandi vim retinuisse sumus experti. Cum igitur his verbis Galen. in eodē censu ponat æris squamam & aloën & ob eundem lauet scopū, sequitur quod si eius sententia lib. 1. de cōp. med. per genera. & lib. 2. de simpl. med. facul. cap. 15. in æris squamæ lotione aqua euacuatur, identidem in aloës lauatione ipsam euacuari debere: præterea aquam abijcit Actuarius libro de compo. medicamen. cap. de coniunctis humoribus purgandis præcepta: titulo hierapiera. Galeni & inter iuniores eam abijciunt Musa in examine pillularum alephanginarum, & Ioannes Nauasquesius, sangoianus, in commentarijs in theoremata vniuersalia Mesuæ, titulo de lotione. Rursus, huius lauationis finis hoc ipsum suadet, nam si is est vt pars astringens & corroborans sola & solutionis expers, aut

cum

cum solutione exigua maneat, si pars soluens subiectatur in partibus tenuibus calidis ac superficialibus, eæ autem aqua absterguntur, ac in ipsa supernatant, sequitur aquam hasce in se continentem partes esse expellendam, aliàs enim eædem partes, quas abigere tentamus iterum cum aloë coimbiberentur, nec illa, post lotionem absque multa solutione maneret. Vt hinc perspicuum sit, quantum aberrent secundæ opinionis autores, tenentes solas has tenues partes quæ in aqua ipsa deferuntur esse assumendas, & pro lota aloë vsurpandas. Rursus si aqua esset asseruanda quemadmodum primæ opinionis autores tenent, talis profecto operatio, non lotio esset dicenda, sed potius maceratio imbibitio, seu imbuitio. Nec valet argumentum, cui ipsi præcipuè innituntur: aiunt enim aloën esse succum, & totum in aqua dissolui ac liquefieri, quare si amittatur aqua id quod pingue, & frugis est ipsius aloës, simul etiam amitti atque deperdi esse necesse, relicto tantum in vasis fundo tanquam grauiori, terreo ac arenoso; nam qui hoc dicunt inexperti sunt, & naturarum rerum ignari, quia si post conturbationem quiescere permittatur haud multopost tempore, vniuersa

uersa aloës substantia in fundo vasis congregabitur atque in vnum coibit, sic vt crassior omnis pars subsideat, aqua verò aloës qualitatibus prædita superferatur. Ad Galeni testimonium libro. 8. de compon. medic. secundùm locos, cap. 2. cui etiam adhærent, dicendum, Galenum ibidem de secundo lotionis modo fuisse loquutum: qui fit vt aloës amaritudo remittatur quam remissionem Galen. dulcorationem vocat, & eius facultas corroborans vigoretur: aqua pluuia non tantum illius dulcoratur amaritudo, verum etiam astrictio intenditur, eò quod teste Galeno, libro septimo de comp. medic. secundũ locos, cap. 4. titulo vsus prædictorum Andromachi, &c. aqua hæc astringendi vim habet. Alia aqua quæ ab aromatis excolata est solum corroborans facultas augetur: nec eo loci eam aloës præparationem lotionem appellauit: solitus aliâs sic ipsam frequenter vocare, sed potius dulcorationem aut coimbibitionem, seu macerationem. Quot vicibus abijcienda sit aqua ex superioribus fuit manifestum, vbi ex Actuario & Musa docuimus aloën ter esse lauandam: nam toties aqua est euacuanda, quoties aloë ipsa lauatur, poterit etiam quater lauari, & pluries, donec aqua ipsa ab aloes qualitatibus quas gustus

&

& visus præcipuè diiudicant, prorsus maneat immunis: cum facultatem subducētem in totum nitimur amouere. Sit igitur praxis lauandi aloën hæc, quā etiam in opere de purgādi ratione tradidimus. Accipiatur optimæ ac purissimæ aloēs libra, teratur cū dupla aqua pluuia aut rosacea, tribuletur circiter, aliquandiu rudicula lignea in vase lapideo vel æneo, tecta sinatur subsidere horæ quarta parte aut paulò diutius, tūc aqua supernatans inclinato paulatim vase abijciatur: mox alia noua aqua superfundatur miminori tamen quantitate sic vt sit sexquilibra, tribuletur, subsideat, aqua effundatur, quod tertio faciendum est, & quarto prout presens medicus iusserit; si vero nullus adsit medicus sufficiet ter fecisse: post aloë sole vel si hyems est, lento igne est exiccanda, & ad vsus recondenda. Melius autem lauatio fiet æstate quo tempore metalla ac reliqua medicamenta lauantur. Eligitur autē in hac aloës lotione aqua pluuia, vel rosacea tanquā tenues & astringentes, quare ob tenuitatem magis aloën peruadent, astrictione vero confirmantem eius facultatem intendēt.

Et hæc de lotione aloes & reliquorum medicamentorum dicta sufficiant.

IOAN-

IOANNIS BRAVI PETRAFITANI Doctoris Medici, & rei medicæ in Salmanticensi Academia interpretis, De simplicium medicamentorum delectu & præparatione.

LIBER SECVNDVS.

De Galanga.

CAPVT PRIMVM.



ALANGA radix est antiquis medicis incognita: nobis autem notissima. Hanc perperam putauit Musa esse verum Dioscoridis acorum, vt in sequenti capite videbitur. Cum (vt ex Manardo constat in enarratione electuarij de gemmis Mesue) antiquis medicis fuerit ignota. Depingunt eam optimè Ruell. lib. 2. cap. 4. similiter Matthiol. libro. 1. in Dioscor. cap. 2. in hunc modum. Galanga radix est geniculis scatens, subrubra intus & extra, & in quosdam nodos crassio-

crassiores ex interuallis intorta, sapore acerrimo, linguam admodum vellicante: odore cyperum quadamtenus imitante, quamobrē ab aliquibus herbarijs (testibus Matthio lo & Ruelio) cyperus Babylonicus dicitur, propterea quod ex Babylonia ad nos asportatur. Iure reprehenduntur fratres Mesuæ commentatores à Matthiolo: putantes galangam esse radicem iunci odorati. Nam iuncus odoratus, schinantus est, cuius radix galanga esse nullo pacto potest. Radicem cyperi in aceto impostores cum pipere macerant & galangam mentiuntur. Detegitur fraus Ruelij & Matthioli testimonio in abrasione, nā in adulterata intus nulla acrimonia sentitur.

Galanga Ruelij Sententia laudatissima est.	ponderosa. rubenti cortice. gustu per quam acri. odorata.

Quæ verò candicat & pōdere cedit, aut odore vacat, aut crebris scatet foraminibus, & in puluerem fatiscit, improbanda est. Tertio ordine calidam & siccam faciunt. Concoctionem adiuuat, ventris dolorem à frigore ortum leuat, & flatum ab eo discutit, masticata tollit oris fætorem, in nares immissa cerebrum

rebrum roborat, ac memoriam adauget, ructibus acidis opitulatur, deuorata aduersus omnes vteri frigidos affectus prodest.

CAPVT II.
De Acoro.

ACORVM quod ab Apulleio piper apum nuncupatur (eo quod aluearijs suspensum nunquam diffugere apes dicatur.) Herba est ad nostra vsque sæcula incognita: fecit certè herbariæ rei ignorantia, vt hactenus in legitimi acori locum rufa quædam radix, inutilis, inodora, gladioli cuiusdam lutei, passim in palustribus, & vliginosis quibusdam locis nascentis successerit; hęc itaque radix ad nostra vsque sæcula pro vero acoro accepta est, eo sanè argumento quòd folia & radices iridi similia proferat, quæ quantum facultatibus & qualitatibus à vero acoro recedat, Dioscoridem legenti patere poterit. Verum enim acorum Dioscoridis sententia candicans esse debet, gustu acri & odoratum. Radix hæc rufa est, inodora & acrimoniæ expers. Animaduersus fuit hic error primum ab Hermolao barbaro, mox à Manardo, Fuchsio & Matthiolo. Deceptus etiam est Musa asseuerans verum Dioscoridis acorum aliud non esse quã

eam acerrimam & odoratam radicem quam officinæ Mauritanos sequutæ galangam nuncuparunt. Maluit enim cum Leoniceno suo præceptore aberrare: quam cum Hermolao & Manardo benè sentire: siquidem galangam folia iridis habere nullo nobis testimonio constat. Cum sola radix ad nos afferatur, nec folia vnquam Europæ visa fuerint. Verum cum galanga cyperus Babylonicus dicatur rationi magis consonum est ipsam cyperi folia habere. Rursum verum acorum vt ex Dioscorid. habemus, album est & acre: galanga rufa admodum & acerrima, sed præter hæc ei etiam refragantur ea quæ Galen. lib. 6. de simpl. medicam. facult. scripsit nempe acori radicē gustui non solū acrem esse, sed etiā subamaram. Cuius amaritudinis galanga prorsus est expers, etiam si Musa bile fortè perfusus suam degustans galangam eā amaram fuerit expertus. Probatur præterea aliud esse acorum à galanga testimonio Serapionis de his seorsum proprijs capitibus agentis vt potè de rebus genere & facultate diuersis. Constat etiam hoc ex Actuario qui in cōpositione aureæ Alexandrinæ acorum & galangam ponit tanquā res diuersas, quod idem fecit Nicolaus Myrepsius in suo antidotorum libro. Verū itaq; acorū erit vulgaris hic noster calamus

aroma-

aromaticus quod olim ſuſpicatus fuit Hermolaus. Hoc etiam videtur ſentire Manardi. lib. 6. epiſt. 3. dicens calamum aromaticum ignotum hoc noſtro æuo eſſe, quod enim vulgus eo nomine vocat, radicem eſſe non calamum putat. Nec calami illius radicem, ſed vel acorum eſſe (vt etiam ſuſpicari Hermolaus quodam loco viſus eſt) vel aliā quādam rem nobis ignotam, & ſubdit: ego quoties acoro opus eſt non vulgari illa radice, & iniucundi odoris, ſed vocato aromatico calamo vti conſueui. Hoc itidem tanquam veriſsimum tenet Matthiolus. Quod ſi notas à Dioſcor. de acoro traditas conſideremus, inueniemus certè illi omnes ad amuſsim conuenire, radix enim eſt iridi ſimilis, geniculata, alba, acris, odorata, & amaritudinis non expers, folia etiam ſicca, quę inter radices ad nos afferuntur, cōſiderauit Matthiolus & reperit folijs iridis ſimilia eſſe.

Eligi debet Dioſcoridis teſtimonio.	Denſum Candidum Plenum Carie non exeſum, Odoratum.

Calfacit & exiccat ordine tertio, autore Galeno libro. 6. de ſimplic. medic. facult. Vri-

nam mouet, & lienes induratos iuuat, ceratoidis tunicæ crassitiem detergit simulq; extenuat.

CAPVT III.
De Agallocho.

PRetiosissimum lignum ex Arabia & India, ad nos aduehitur, hoc Dioscor. lib. 1. cap. 21. Agallochum vocat. Medici qui ex Arabia floruerunt à nonnulla similitudine coloris aloës (vt arbitror) lignum aloës nominant: officinis nomen hoc retinuit. Lusitani quorum nauigatio totum mare Athlanticum & Orientale domauit, oculatum nobis testimonium exhibent in insula Taprobana, & in alijs locis illi circumuicinis nasci ac gigni. Hoc paucis ab hinc annis portari cœpit cum antea pro eo, ligno quodam Rhodico vteremur, quod ad nos imprudenter afferebatur. Quod etiam, Ruelius verum Aspalathum existimauit, Matthiolus quandam oleastri speciem. Agallochi in libro de simplic. medic. facul. Galen. non meminit, nec alibi, nisi in lib. de substitutis, vbi minus centaurum, pro Agallocho accepit, verũ ille liber (ni fallor) Galeno adscriptus est.

Hoc

Hoc eligi debet Dioscoridis sententia.

- Thuiæ ligno ſimile.
- Maculatum.
- Odoratum.
- Guſtu aſtringens cum quadã amaritudine.
- Graue.
- Cute inueſtitum.
- Aliquantulum verſicolore.

Quod etiam cum ſuffitur vehementiorem ſpirat odorem quam antea quam ſuffiretur, & in ipſa crematione thuris modo liqueſcit, atque cum in aqua ſubmergitur ſuper illud guttæ quædam emicant cryſtallum vel margaritã æmulantes. Hoc tamen quod ad nos affertur per Luſitanorum nauigationem tantum bonitate atque præſtantia excellit, vt etiam non ſuffitum aut crematum ſuauiſsimè odoratum experiamur, cum id quod in Italiam per Venetos deportatur tantæ præſtantiæ non ſit, vt ante cremationem odoret, ita Matthiolo, affirmante. Cauſa autem huius diuerſitatis eſt quia hoc noſtrum ex inſula in qua naſcitur à Luſitanis euellitur, id tamen quod in Italiam affertur ex flumine Gange colligitur. Quod ſecum (vt autor eſt Serapio) quam plurima fragmenta defert, præſertim cum pluuiarum copia incraſſatur & creſcit. Cuius rei teſtimonium præbet id quod Venetijs venditur: totum enim (vt refert Matthiolus) dilaceratũ,

ruptum, & raſum ex longo aquæ curſu videtur, atque ob id ſola contrectatione ſine igne, vt ad noſtram Hiſpaniam allatum, minime ſuauiter odorat. Thuia arbor eſt cuius meminit Theophraſtus lib. 3. de plantarum hiſtoria cap. 6. & lib. 4. cap. 1. & lib. 5. cap. 5. ego aliquando ſuſpicatus ſum hoc lignum rhodicum (cuius ſupra memini) Thuiam eſſe, mouit me primum Dioſcor. dicens agallochum ſimile eſſe Thuiæ, quæ ſimilitudo maximè reperitur inter hoc lignum rhodicum & agallochum. Suſpicionem etiam adauget Theophraſtus cap. 5. libri. 5. de plantarum hiſtoria, thuiam cupreſſo aſsimilari, & per multum tempus incorruptã perdurare dicens, quod illi non niſi ex magna denſitate prouenire poteſt: quæ denſitas ſi in vllo alio maximè in ligno rhodico inuenitur, ſuſpicatus etiam nonnunquã fui per thuiam thædam intelligi poſſe, partem videlicet pinei ligni obeſſam reſina ac veluti ſtrangulatam. Agallochum (Serapionis autoritate) excalfacit & exiccat ordine ſecundo, quod etiam commanducatum aut collutum iucũditate ſua his os corrigit quibus id maxime fætet. Imbecillum firmat ſtomachum ſiue ventriculum, cor vehementer roborat, iocinoris infarcti vitia expedit, medetur et[illegible] his, quibus humido lentore

ſtoma-

ſtomachus languet ita de eo ſcribentibus Paulo, Dioſcor. & Auicenna.

CAPVT IIII.

De Margaritis.

PRETIOSÆ admodum res ſunt margaritæ, quæ non modo ad mulierũ hominumq; cultum, ſed etiam ad medicamenta maximo luxu expetuntur, maioriq; multo pretio apud proceres habebãtur quã par eſſet profectò, vt ex illo vnico Cleopatræ vnione ab ea coram Marco Antonio in aceto diſſoluto perſpicuè probari poteſt qui à iudicibus cœnę, ducentorum quinquaginta mille aureorum fuit in æſtimatione, ita Plin. lib. 9. hiſt. mundanæ. cap. 35. ſcribente. Latinis margaritæ & vniones dicuntur, Hiſpanè perlas, & aljofar. Licet (vt Muſa de eis verba faciens ſcribit) hoc nomen perla omnibus ferè gentibus commune ſit, pauca admodum intercedẽte varietate, dicũtur vniones nõ vt aliqui opinantur quia vna tantũ in vna tantũ cõcha reperiatur. In qua opinione eſt Solin. cap. 56. Nã vt autor eſt Petrus Martyr Decada. 3. c. 10. in India Hiſpanię. 120. vniones in vno cõchilio ſunt reperti. Et qui per Indicã nauigationẽ iter fecere Luſitani. 130. vniones vna cõcha captos

fuisse testantur. Sed dicuntur vniones (vt Plin. ait loco supra citato) quia nulli duo reperiuntur indiscreti. Hos Græci medici Actuario antiquiores silentio prætermiserunt: cæterum Actuarius eorum meminit libro de comp. medicamentorum in antidoto Aureo Alexandri. Et in antidoto dimargarito, eosque vniones & margaritas vocat. Animalia quæ margaritas gignunt in Oceano Indico nasci scribit Plin. sed fertiliorem eorum prouentum dicit esse in Oceano Taprobanæ, & circa Arabiam Felicem in Persico sinu maris Rubri. Certum itidem est nasci & capi margaritas in Oceano Septentrionali Scotiæ, & Anglico & Britannico sinu: sed eas quidē paucas, nec adeò pellucidas vt Orientalibus comparari possint: è quibus contextum thoracem quem Dianæ templo Iulius Cæsar dicauit, fuisse asseuerat Plinius. Ad hæc non in mari tantum, sed etiam in fluminibus aquæ dulcis conchæ proueniuut quæ gestant margaritas. Huius rei testimonium perhibet Matthiolus dicēs ab ipso in Bohemia degente, in Hugotaba flumine, compertas fuisse conchas quæ pulcherrimos vniones includebant, magnitudine, forma, & candore præstantes. Earum origo vt tradidit Plin. hæc est, tempore quo hæc conchilia ad generandum stimulantur,

pan-

pandunt ſe ſe & quadam oſcitatione, rore fœcundo implentur: quæ poſtea grauidæ factæ pariunt, partusque concharum ſunt margaritæ, quæ varietatem accipiunt pro varietate roris accepti. Si purus influxerit, candorem concipiunt, ſi verò turbidus ſordeſcunt, eædemq; pallidæ ſunt cælo nubilo. Ex quibus conſtat aëris eis maiorem ſocietatem ineſſe quàm maris. Si eadem conchilia tempeſtiuè ſatientur, partus grandeſcũt, ſi fulguret comprimuntur: nec ſatiantur ac pro ieiunij modo minuuntur margaritæ. Si tonuerit paneſcunt, ac repentè comprimuntur, & euanidi vniones ſine corpore conficiuntur: tuncque ſunt conchiliarũ abortus. In aqua, mollis vnio apparet, exẽptus protinus dureſcit. Illorum omnis dos in candore, magnitudine, orbe, læuore, pondere, conſiſtit vt Plin exactè ſcripſit. Quare Plinij & Serapionis autoritate margaritæ eligendæ ſunt.

- Magnæ quo enim maiores eò meliores.
- Claræ & perſpicuæ.
- Albæ.
- Læuorem habentes.
- Graues.
- Rotundæ.

Duo illarum genera noua medicina agnoſcit vnum perforatarum, aliud non perfora-

tarum quando perforati vniones despiciuntur, illi sunt qui natura aliquod habet foramen quia aliquem malum affectum acquisiuere: non perforati simpliciter probatiores sunt. Quanuis qui aliqua sunt arte perforati despicere non licet. Cauendum tamē nè diu præparatis vtamur, nam (vt Musa scribit, & nos ipsi aliquando vidimus) in puluerem redacti vires amittunt & facilè possunt adulterari. Margaritæ refrigerant & exiccant ordine secundo, vt ex sententia Rasis attulit Serapio. Quæ etiam cor mirum in modum roborant, tristitiam abigunt, mentem exhilarant, cordis sanguinem purificant & attenuant: morbis à melancholia ortis medentur, visum acuunt, & abstergunt, falsas abolent imaginationes, oculorum humiditates exiccant, cordi trementi succurrunt, æstuantem corporis calorem extingunt, collirijs oculorum & medicamentis cordialibus induuntur: ita enim de eis Arabes sentiunt: omnesq; qui de illis latiùs scripserunt.

CAPVT V.
De Camphora.

CAmphora gummi quodam esse in intima arboris cuiusdam parte inuentū, quasi medullæ locū occupans ab Arabibus

bibus habemus. Quam arborem læuem esse & ferulaceæ naturæ tradunt, tantæque magnitudinis vt sub ea hominum centuriæ cõdi posſint: cum frequentibus fulguribus cælum coruſcat, aut crebro tonitru cõſtrepit, vel cum terra motu concutitur, largioris huius prouentus præſagiũ erat. Luſitani qui meridionale pelagus nauigarunt in inſula Burnei camphoram inueniri dicunt: & qui in illa regione ſunt, gummi arboris eſſe tenent. Illam frigidam tertio ordine medici ponunt, & æſtuãtem corporis ardorem extinguere affirmant. Legitimæ camphoræ probatio autore Ruelio lib. 1. cap. 26. de ſtirpium natura, talis eſt. In calido pane camphora ponatur, & ſi humore madeat, ſinceræ eſt argumentum: ſin contra perareſcat ſpuriæ & factitiæ certitudo eſt. Cæterum pernicioſus error irrepſit in vulgus, vt pro vera camphora re quadam factitia, acri, mordaci, facilè inflammabili, odorata & calida quondam fuerit vſum. Quare çum vera camphora careamus, & hæc qua vtimur ſpuria ſit & à vera longè diſtans, ne in re nobis ignota temporis aliquam faciamus iacturam, ideo hac omiſſa ad alterius medicamenti examen accedamus.

CAPVT VI.

De Myrrha.

MYrrham lachrymam esse arboris cuiusdam in Arabia nascentis à Dioscoride habemus, ex cuius arboris vulnere lachryma hæc in subiectas segetes defluit, alia circum caudicem concrescit. In arboris effigie describenda Theophrastus, Dioscor. & Plin. aliquantulum variant, fortè quidem quia non semper vna spectatur effigie, vt Ruelius est autor libro. 1. cap. 98. Plin. tamen lib. 12. cap. 15. myrrhæ arboris effigiem diligenter expressit hisce verbis, myrrham in eisdem syluis vbi & thus, nasci aliqui tradidere, arboris altitudo quinque cubita attollitur, spinoso caudice, duro & intorto crassioreq; quam thuris, cortice læui vnedoni simili constat, folio etiam oliuæ crispiori tamen & aculeato. Quatuor eius species connumerauit Dioscor. troglodithicam, caucalim, ergasimam, & amineam: primasque tenere troglodithicam dicit, caucalim vero ergasimam & amineam improbari. Licet Galen. lib. 1. de antidotis cap. 14. amineam vt meliorem laudarit, fortè diuersum myrrhæ genus à Dioscoridis genere intelligens vt Matthiolus sentire videtur. Bona nos myrrha carere censet Manard. libro. 6.


epist.3.diuerso in nostra & antiquiori myrrha reperto odore, motus: quia hęc inquit quæ apud nos myrrhæ loco habetur pro odore suaui teterrimum virus obolet. Manardum sequūtur Musa & Matthiolus, qui putant veram myrrham ad nos non afferri, vel si affertur esse illam speciem deteriorem à Dioscor. dictam caucalim & ergasimam: quod sic probare nituntur: optima myrrha Dioscor. testimonio, debet esse viridis, pinguis, acuta, odorata, vndiquè concolor, & in eius fractione internatos quasi vngues candidos ac leues ostendens; hæc vero qua vtimur est sicca, torrida, nigra, pallida, pulueruleuta, & pessimo odore prædita. Vnde ipsi colligunt hāc nostram optimam non esse. Aliquam veram ad nos adportari nō negat Matthiol, verum ita raram & paucam putat, vt non nisi ad ostentationem seruetur, & ad aliarum dignoscendarum regulam. Musa pro comperto affirmat hanc nostram esse verum antiquorum Bdellium cui Matthiol. non assentit, quia nec transparens & pellucida apparet, & si talis aliquando reperitur potius gummi adulteria sunt, quā myrrha. Nec incensa vt odoratus vnguis suauem odorem spirat; cum Bdelium Dioscor. testimonio, translucidum taurini glutinis in morem sit, & suffitu vnguis odoratissimilem

lem odorem habeat. Addit etiam Matthiol. aduersus Musæ sententiam, Bdellium digitis ductum tractumq; facilè lentescere, & cō fractum intus pingue expectari, hæc vero quam habemus myrrha digitorum attrictu conteritur & fracta perquam aridam se se offert. Verùm si sensibus iudicanda res est, certè diligenter intuēti quam plurima fragmenta optimę passim occurrunt, quæ omni bus vel saltim pluribus dotibus quas antiqui bonæ adscripsere, prædita sunt: quę etiā suffita suauem odorem spirant, licet ante quam cremarentur illum non spirarent siquidem nō omnia similiter spirant. Vt Ruelius lib. 1. de natura stirpium cap. 18. optimè quidem intellexit, sic scribens: quædam non nisi detracto cortice, quædam verò non nisi vsta, vt thura, myrrhæque. Inueniebatur Galeni temporibus in optima myrrha opocalpassum, quod intra corpus assumptū mortiferum est venenum: vt ipsemet Galę. lib. 1. de antidotis cap. 11. scribit: est autem opocalpassum lachryma seu succus, calpassi arboris cuiusdam venenosi atque lethalis. Manar. lib. 6. epist. 3. male hūc Galen. locū interpretatur, pro opocalpasso, opobalsamū legens, putansq; opobalsamum in optima myrrha inueniri, quod Gale. nec somnianit quidem, sed nec in eruēdo huius Galeni

loci

loci vero sensu, ab errore immunis fuit, Mat thiol. dicēs: myrrhā opocalpasso adulterari cū nō hoc dicat Galen. sed opocalpassum in optima myrrha inueniri, hoc est nasci eo modo, quo in casię plāta cinammomi virgul ta aliquot nascuntur. Quod vero ad electio nem eius attinet præsens declarat schema.

Myrrha eligenda est Dioscoridis testimonio.
- Recens
- Squalore obsita
- Leuis
- Vndique concolor
- Fracta inter natos quasi vngues candidos ac leues ostendens.
- Minutis glebis,
- Amara,
- Acris
- Odorata
- Calfaciens.



Lib. 2. de comp. med. per genera. c. 9. & 6. de comp. med. per locos. c. 1. tit. de mediorum pharmacorū cōpositione, emplastris & alijs cōpositionibus myrrhā recipientibus adijci debere docet Galen. cum medicamētum ab igne tollitur, vt pote ipsam coctionē nō fe- rentē, & 8. de simpl. med. facul. ordine. 2. cal facere & exiccare affirmat, & lib. de substitu tis, eius loco odorato calamo vtitur. Cōstāti nus verò eodem amararū amygdalarū pōde re. Myrrhæ tantæ sunt facultates, vt dicat

Ma-

Manar. lib. 18. epistol. in fine epist. 1. nō esse ferè antidotū cui myrrha nō misceatur, idq; ob varios eius vsus. Caput sopore grauat, agglutinat, astringit, resiccat, menses trahit putredini adeo resistit, vt mortuorum etiā corpora à corruptione præseruet, scorpionum ictibus vtilis est, vermes necat, contra veterē tussim magnitudine fabę deuoratur. Horrores febrium discutit, duabus horis an accessionem cum pipere & aqua pota: subiecta linguæ, suctu gutturis scabriciem emendat, obtusam vocem expedit commanducata, graues halitus oris, & ingratum spiritus fætorem abolet. Has enim & alias quamplurimas facultates ei posuere Galen. Dioscor. & Plin. atque alij.

CAPVT VII.
De Myrrhæ stacte.

Libro. 1. cap. 61.

STACTE Dioscoridi, myrrhæ recentis exigua aqua tusæ, pingue serum est organo quodam expressum. Plin. lib. 12. cap. 15. non ex myrrha arte exprimi, sed ex ipsa arbore naturaliter stacten prodire scribit. Quo loco de myrrhæ arboribus verba faciens sic inquit. Sudant prius sponte quam incidantur stacten dictam, cui nulla præferatur. Stacte nominatur vt voluit

Ruelius

Ruelius lib.1.c.98. quoniã è ſtillatitia myrrha fiat. Summè aberrare eos, qui ſtactē ſpeciem myrrhæ contra alias diſtinctã eſſe arbitrantur, optimè à Muſa animaduerſum eſt, cũ ex omni ſpecie myrrhæ ſtacte fieri poſſit, præſertim ſi pinguiſsima eſt. Hanc Serapio & medicorum vulgus ſtyracem liquidam appellant, cum vt ſuprà dictum eſt, ius ſit potius vel pinguiſsimus myrrhæ flos, machinis extractus. Eſſe verò Dioſcoridis ſtacten liquorem eum qui à Serapione liquidus ſtyrax nuncupatur, vtriuſque capita conferenti facilè conſtabit. Omnia enim ea quæ Dioſcorides de ſtacte ſcripſit, in liquido ſtyrace cap.46. ad verbum tranſtulit Serapio. Stacte Dioſcoridis teſtimonio probatur puritate (commendatiſsima enim quę impromiſcua & oleo eſt libera, & perquam odorata.) Eadem quæ myrrha præſtat, ſed efficacius, cum Dioſcor. ſententia, minima ſtactes portio cõpos ſit virium plurimarũ.

CAPVT VIII.

De Styrace.

STYRAX autore Dioſcor. lib. 1. cap. 67. lachryma eſt arboris cotoneo malo ſimilis, quæ ex Piſidia & Cilicia deuehitur, naſcitur etiam in Creta, ſed illaudabi-

lis si Plinio creditur lib. 12. cap. 25. Prestantissimus tamen styrax ille est qui in Pamphilia nascitur, qui licet paucissimus, tantum ab alio distat quantum à vino quod in tabernis venditur Phalernum. Ita Galen. docente lib. 1. de antidotis cap. 14. Vnde eiusdem testimonio è calamis asportatur, hinc à nostratibus medicis styrax calamita dictus est. Nam cum optimum styracem intelligere volunt semper calamitæ cognomē apponunt. Quare meritò à Musa reprehenditur Pandectarius putans calamitem ab styrace, specie differre: huius etiam erroris non fuit immunis Nicolaus in compositione alipta muscatæ, ponens calamitem styracem, & calamitem rubrum tanquam specie diuersos, re vera tamen vt ex Galeno loco supra citato colligitur, optimus styrax calamita dicitur, qui propterea quod ex Pamphilia in calamis affertur, calamitæ cognomen accepit. Hic etiam Galeni locus Manardo dedit occasionem libro. 8. epistola. 1. titulo de styrace, putanti vitium esse in litera Dioscoridis vbi habet gabalites, nam legendum esse calamites censet ad Galeni normam loco supra citato. Verior enim est Marcelli sententia vertentis gabalites cui patrocinatur Plin. loco supra citato dicens in Syria Iudeæ proxima supra Phœnicem styracem
gigni

gigni circa Galba & Marathunta & Caſſium Seleuci montem. Dioſcor. è Galbanis euchi ſcribit, quod prorſus idem eſt. Quod ad electionem eius attinet Galen. ſupra citato locô maximè pallidum, odorem, ſaporemque vehementiſsimum habentem accipiendum eſſe ſcribit. Dioſcorid. tamen conſummatam eius doctrinam & electiones dedit, quæ præſenti ſchemate comprehenduntur.

Styrax Dioſcorid. teſtimonio prę fertur.	Sordeſcens.
	Flauus.
	Reſinoſus.
	Albicantibus gummis.
	Quamplurimũ in ſua odoris gratia remanens.
	Emollitus melleum liquorem reddens.

Improbatur.	Furfuroſus.
	Friabilis.
	Niger.
	Cano ſitu obductus.

Styrax Dioſcor. & Galen. teſtimonio lib. 8. de ſimplic. medic. facul. excalfacit, emollit, concoquit, tuſsi medetur & faucium atque pectoris vitijs, vuluæ præcluſæ, duritievè

 labo-

laboranti opitulatur, cit menses potus, appositusque aluum emollit, neruorum nodos illitu discutit. Lib. 2. de comp. med. secundùm locos, cap. 1. titulo de capitis in febribus dolore, dicit Galen. styracem paucũ potatum, vultus tristitiam discutere, multum vero somnos turbulẽtos dementiamq; inducere.

CAPVT IX.
De Moscho odorato.

PRodigiosum naturæ miraculum videre est, nempe animal quoddam Indicũ pretiosissimum odoris genus ex vmbilici vomica quotannis expromens: cum in reliquis animalibus erumpentes abscessus non nisi quidpiam olidum, putre ac fætens eructent: quod à recentioribus Medicis, moschos appellatur. Nam antiqui, hoc est Hippoc. Diosco. Teophrast. Galen. & Plin. nusquam de moscho loquuti sunt (intelligo autem de nostro vocato moscho odorato) quia muscum herbam, & arborem, & marinum muscum ad vnguem tractauerũt. Græci quidem posteriores vt Ætius, & Paul. musci quidem vel moschi meminerunt, quid autem sit non exprimunt, sed apud ipsos in compositionibus quibusdam mistus inuenitur,

tur, vt apud Ætium licet videre, lib. 4. serm. 4. cap. 12. & deinceps in omnibus cõpositionibus quas moschatas appellant ob id quia moschum recipiunt, in ipsis mistum inuenimus. Cæterum nusquam eius naturam & generationem explicuerunt. Licet Ruel. libr. 1. cap. 27. de natura stirpium longissimam ex Ætio sententiam afferat: quam certè nusquam mihi apud Ætium videre licuit, licet non ignorem opuscula quædam sub nomine Ætij diuendi: quę tamen autore Matthiolo lib. 1. in Dioscor. cap. 20. sunt potius Simeonis cuiusdam Septi.

Nunc tamen quæ Serapio. cap. 185. de moscho memoriæ mandauit expromam. Moschus omnis eo autore in vmbilico cuiusdam animalis gignitur quod capræ simile est vnico armatum cornu prægrandi, corporeq́; peregrina hæc capra figura ab alijs non dissidet, sed dentibus tantum caninis discrepat, quos verrium more exertos palmi longitudine gerit, quam capram incolæ gazellam nominant, nos capram vel dorcadẽ peregrinam nuncupare possumus. Musa qui sæpè hoc animal vidit eò quòd Alfonsus Ferrariæ Dux frequenter illud in delicijs habuit, in colore ceruo simile dicit esse, dorcade aut capreolo paulo maius & nonnunquam æquale: in figura capreolo simi-

le, vngues multifidos habens vt capreolus, esseq; dicit agile valde & velocissimè currens. Huic itaque animali (ait Serapio) in venerem ruenti, quasi furijs stimulato vmbilicus intumet prægrandi quadam vomica in qua congeritur crassior sanguis, quo tempore & pabulo & potu fera abstinet, in terrãq; crebro voluitur qua versatione vmbilicum turgentem lutoso, fæculentoque sanguine, qui ibi coierat exprimit, sic molestiam aliquo modo demulcens: concepta sanies anteaquam vomica rumpatur suapte natura ad maturitatem expectat, ad quam cum vẽtum fuerit fera titillantis humoris lancinatu noxio lacessita, cotibus & saxis se se longo insolatu candẽtibus affricat magno oblectamento, donec rupta vomica tota saniei vis à ventriculo supra lapides effundatur non aliter quam abscessus pure cocto fractus dissilijt, ita vẽtriculus maturo humore per naturam exsaniat, vlcusq; postmodum ducit cicatricem. Rursumque ruens sanguinis impetus eò se recipit impletque vmbilicum dum abscedens in consimilem vomicam extuberet.

Cæterum indigenæ qui loca vbi versantur huiusmodi feræ ad vnguem norunt saxa facilè deprehendunt quibus fusa colluuies & candenti sole resiccata cohæsit. Sed hoc

hoc animal hanc egestam saniem abditis cotibus reponit, vnde colligitur vt transeat in vsus nostros. Hunc igitur incolæ metunt, & vtriculis ferarum earum asseruant, quas venatu captauerant. Hic moschus multo venditur, dignus quo reges & principes exornentur, nam in pretiosa odoramenta venit, & quotidianis vestium suffimentis est dicatus quo tædia alarum, narium, & graue sudoris virus aboletur, & si corpus halitum expiret insuauem: ille hac odoris gratia etiam occultatur. Et vt summatim dicam omnia quibus miscetur odoris iucunditate commendat: & tam latè fuséque iactat odorem, vt eius momentum confestim domos impleat, huncque diutissimè seruant quæcumque eo fuerint imbuta. Quod si alicui mirum videatur quo modo pus adeò redolere possit: non esse mirandum, respondet Musa: quia omnibus non redolet, imo aliquibus ita displicet vt noceat, alij illum odorantes capitis dolores incurrunt, alij attonitum morbum, mulieres præfocationem vteri. Possumus etiam dicere (vt idem Musa optimè animaduertit, esse amicitias & inimicitias inter odorabilia & animalia odorantia, sicuti sunt inter alimenta & alita, nam nobis huma-

nũ stercus mirè displicet, nõ solũ ob odorẽ, sed & visu, tamen canes & gallinæ eo vescuntur tanquam re odoratissima, quia eorum odoratus à nostro longè diuersus est: & multis brutis sapiunt quæ nobis amara vidẽtur: ideo non mirum si hominibus id quod pus est alterius animantis redoleat cum in maturitatem peruenerit, nam id quod ab ipso animali immaturum discerpitur non tantum olere referunt. Colligitur tale sic. Venatores (ait Serapio) prętẽtis cassibus aut laqueis insidias moliuntur & interdum captant, aut sagittis vel missilibus enecant, à quorũ vmbilicis vomicæ folliculum, sanie immatura oppletum discerpũt. Sed pręcox adhuc hic moschus tetro & insuaui odore displicet, verum tantisper libero aëre suspendunt, dum ab acto prorsus fætore maturuerit. Is hac cõcoctione perfecta miram sibi conciliat suauitatem licet non parem illi qui ab animali sponte erumpit. Simile quippiam in arborum fructibus fieri consueuit, qui præcoces decerpti, tandem exusta acerbitate & dulces & suaue olentes euadunt. Duo moschi genera ambo ex locorum varietate desumpta cognouit Serapio. Tum bacinum nempe & seniraceum, tumbacinum anteponit odoris suauitate, quam odoris præstantiam caprarum pabulo refert acceptam: quæ

nardo

nardo inibi copiosa nascente cæterisq; odo ratissimis herbis eo loco prouenientibus ve scantur. In senitarum quidem agro capras herbas odoratas pasci etiam dicit, sed odori bus impares. Addit etiam tumbacinos hanc saniem è vomicæ folliculo non eruere, sed blandienti cæli serenitate, ab ipsis saxis in quibus ab animali excidit, probam & iam maturam colligere. Senicos vero vomicæ ventriculum exprimere, & inclusam imma turamq; saniem expromere, adulterijs per miscere, & nubilo parumq; arridenti cælo vitreis vasis recondere. Auicen. cap. 464. addit, citrinum, idest luteum cæteris perfectiorem esse. Nobis huius coloris moschum hactenus videre non licuit, nisi per citrinũ, ferrugineum, vel passeum colorem intelliga mus vt Musa optimè animaduertit, quo co lore præstantissimum moschum præditum esse comperimus. Adulteratur sanguine hir cino. Verum tali dolo fucatus, cum digitis subigitur, quædam fragmenta veluti sangui nis trombi in digitorum attritu adinueniũtur, cum tamẽ sincerus multum friabilis sit. Alij rubra terra adulterant, cuius probandi ratio (vt docet Ruelius libro. 1. cap. 27.) hęc est in peluim humore perfusam, vel labellũ post examinatum trutina pondus, immittunt, postea iterum æqua laneæ ponderant:

quod si protinus ad stateram reductum superferatur, synceri & legitimi experimentum putāt, sin repens cedat & pondere degrauetur spurij indicium existimant. Syluius lib. 1. method. compon. medic. melior est, (inquit) subflauus quam nigricans, & qui pelui humectatæ immissus leuior euadit quam qui grauior. Nam cum ille adiposus & oleosus sit aquā in se non coimbibit: quare hæc sinceri nota est non mediocris, quemadmodum rubea terra adulterati contraria. Non desunt qui tradant sincerum naribus inditum sternutamenta ciere. Calidum in 2. & siccum in. 3. posuit Serapio. Auicen. loco citato calidum & siccum recessu secundo esse dixit, verum magis siccum esse quam calidum indicat excellens odor. Nam autore Arist. lib. 2. de anima cap. 9. in fine, odor omnis in sicco fundatur. Cuius vires ex Auicen. & Serapione hæ sunt, cor frigidum ac tremulū roborat, & omnibus ipsius affectibus frigidis opē præstat potus atq; illitus, detergit tenues oculorū albugines, & humidas defluxiones exiccat, cerebrū roborat, & diuturnum capitis dolorem demulcet, si à frigore proueniat, eius etiam odore vterus mire retrahitur. Propterea eius vsus maximus est in vteri strangulatu.

C A-

CAPVT X.

De Ambaro.

ALIVD habetur odoramenti genus, quod recentiores medici modo ambram modo ambarum nominant: res noua (vt ait Manardus in expositione electuarij de gemmis Mesuæ) & quæ post Galeni tempora, in medicinæ vsum deuenit. Quid autem sit adhuc apud medicos controuersum est: Serapio. cap. 196. nonnullorum refert opinionem dicentium in mari ambarum non secus atq; in terra fungos nasci sæuientibusque procellis agitatum pelagus, id è maris profundo in litus abijcere, tum homines qui præsentiunt maris insultus ad vada se conferre & ambarum à mari eructatum colligere. Aliorum etiam tradit opinionem tenentium piscem quendam cetaceum, nomine azelum hoc ambarum comedere, quo esu sibi necem consciscere ipsumque mortuum supra vndas natantem insulanos coniectis vncis & funibus extrahere, ambarumque cæso ventre eximere. Sed quod proximè spinam dorsi inuenitur coactum, omnibus alijs præferri. Vtpotè quod & purius & sincerius reddatur: longioremque moram in piscis ventre fecerit. Hinc Paudetarium & alios medicos credidisse

didisse arbitror ambarum esse sperma ceti verè tamen ambarum diuersis in maris locis scaturit, vt Auicen. lib. 2. cap. 62. literarum monumentis tradidit. Fontes autem hosce ambarum hoc eructantes, quemadmodum fontes bituminis, sulphuris, & similiũ dicit esse. Quam opinionem ego veram esse censeo. In regionibus occidentalibus hoc nasci tradit Serapio à quibus locis ad nos etiã deuehitur. Ambram grisiam & asebeliticam laudauit Auicenna quam omnibus alijs prætulit: est autem asebeleti color cæruleus, grisis color est qui nostra Hispania dicitur pardo gris, quibus coloribus optimam ambram præditam esse debere, & suauissimè olentem, in hac re peritissimi tradunt. Post hanc laudauit Auicen. variam, mox citrinã, omnium infimam & deterrimam nigram esse protulit. Calidam in secundo, & siccam in primo posuit Auicenna. Optima plurimo venundatur pretio, & in pretiosissimas antidotos venit, nempè in ellectuarium de gemmis, galliam moschatam, aromaticum rosatum, confectionem alchermes, & alias plerasque, quotidianisq; odoramentis est dicata: licet Manardus loco citato non tanti faciat quanti æstimatur, re vera tamen vt scribunt Serapio, Auicen. ac Ruelius libr. 1. cap. 27. & Matthiol. lib. 1. in Dioscor. c. 20.

cere-

cerebrum & cor mirum in modum roborat, omnesq; sensus vegetiores efficit, quare senibus & frigidis omnibus auxiliatur, in vinum iniectam vehementer inebriare & temulētos homines reddere, Ruelius & Matthiolus prodiderunt: item amissā restituit memoriam, mentem exhilarat, & aërem pestilentem emendat: quare in pestilentia commendatur.

CAPVT XI.
De Zibeto.

MOscho simile quippiam eruitur è genitalibus locis feræ cuiusdam quam recentiores medici peregrino vocabulo zibetum nominant. Ea autem feli qui in veteribus ædificiorum ruinis oberrat non absimilis, è cuius natura sordes manat odoratissima, quæ solet præcipuè purgari, cum pars ea hac scatet vligine, hæc recenter ab animali euulsa tetrum & insuauē spirat odorem: cæterum vase vitreo recepta & diu insolata aërique exposita miram sibi odoris conciliat suauitatem. Si cauernulæ vmbilici admoueatur tradunt conuersum in alterutram partem vterum in suam resilire sedem, aut si sursum versus impulsus, opprimat, subitò eò deuocari, tam amens hu-

ius

ius odoramenti vterus est vt ad id vndecũq; admotum irrepat.

Reddunt interdum & feles syluestres & mures moschi odore recrementum vt sæpè in diruptis agrorum ædificijs vidimus. Sed id acceptum ferendum est, tum peculiari illorum naturæ, tum odoratis fruticum cibis quibus aluntur.

CAPVT XII.
De osse de corde cerui.

ARistoteles lib. 2. de histor. animalium capit. 15. magna animalia & genus quoddam boum suo in corde ossicula continere refert, quam sententiam lib. 3. de partibus animalium capit. 4. idem tenet Arist. dicens, cor sine osse est, omnium quæ nos nouerimus, præterquam equi & generis boum cuiusdam, quibus præ magnitudine quasi adminiculum positum est. Confirmat hanc sententiam Galen. lib. 6. de vsu partium cap. 19. his verbis, quoniam autem os inuenitur in capite cordis in magnis animalibus, rationabile vtique erit, & illius vtilitatem non præterire. Est autem forsan, & ab Aristotele dicta huius vtilitatis ratio, firmitatem enim aliquam & sedem cordis ait esse id os. Et propterea in magnis ani-

animalibus inueniri. Manifestum enim est quod in magno thorace, magnum cor pendens, rationabile fuit tali indigere particula. Et deinceps dicit hoc os esse cartilaginosum. Tale os cartilaginosum in cordibus magnorum ceruorum quotidie nostris temporibus inuenitur: & Musæ duo dissecanti ceruorum corda apparuit. Hoc tamen discrimine habito, quod in recenter mortuo hoc os rpparet molle & magis neruosum, in illo verò qui per. 6. dies interfectus fuit, os est durius & cartilaginosum magis. Quare merito Andreas Vesalius reprehēditur à Matthiolo lib. 2. in Dioscoridē cap. 52. eo quòd negauit in ceruorum cordibus talia ossa adinueniri, cum experimento & grauissimorum autorum testimonijs contrarium potius innotescat. Non defuerunt etiam Galeni tempore medici hoc istud negantes, quorum ignorantiam ac circa anathomen imperitiam Galen. improbans libro septimo de anothomicis administrationibus capite decimo, discipulis suis iubebat vt hoc miraculum illis non manifestarent qui adeo sunt improbi, vt non ignorantiam suam incusent, sed veritatem negent: ac eos qui sua industria adinuenerint, derideant. Inuenitur itaque in cordibus magnorum ceruorum hoc osiculum. Cuius facul-

facultatis licet non meminerunt antiqui, iu niores tamen medici (è quorum numero vnus est Matthiolus in disquirendis rerum naturis diligentissimus) eo experti sunt, tan quam medicina pretiosa, ad cor tremulum & infirmum, firmandum & corroborandũ, & aduersus quælibet venena mortifera, & aduersus pestilentiam, quare cordis epitematis & alijs antidotis à medicis cõcinnatis aduersus pestem & venena iure optimo inditur. Hoc tamen vnicè cauendum est nè falsum & adulterinũ ab impostoribus ematur. Musa enim & Matthiolus maximè cõqueruntur ferè omnia hæc ossicula quę pro his ossibus venalia habẽtur, boum, vel vaccarum esse cartilagines, quæ concinnantur ex trachea arteria horũ boum, similiter & ex ligamentis crurum ipsorum ceruorum.

CAPVT XIII.
De Opio.

OPIVM autore Dioscoride libro. 4. cap. 67. lachryma est ex capitibus nigri papaueris cultello aliquo incisis stillans. Excipitur autem hæc vt vult Plinius lib. 20. cap. 18. vel lana vel pollicis vngue, vel lactucarum folijs. Verum hoc quo vtimur (vt probè Matthiolus sentit) meconium

niũ est & non opiũ. Est autẽ meconiũ testibus Plin. & Dioscor. succus expressus ex capitibus & folijs papaueris nigri, opio quidẽ ignauior. Gal. tamẽ lib. 3. de simp. med. fac. c. 20. meconiũ simpliciter dixit esse papaueris succum. Opiũ enim Dioscor. sentẽtia candidũ est, quo candore cũ nostrũ careat, opiũ esse nõ potest. Adulterabatur Dioscor. temporibus vel glaucio vel succo lactucæ, vel gummi. Glaucio adulteratum cum diluitur croci colorẽ reddit, tale est ferè omne quod ad nos affertur, si Matthiolo credimus. Lactuceo succo effictum exiliter spirat, asperiusque spectatur, gummi verò vitiatum splendescit, & ignauum existit.

Hoc Dioscor. sentẽtia optimum habetur.

- Graue.
- Densum.
- Gustu amarum.
- Odoratu soporiferum.
- Facilè aqua diluibile.
- Leue.
- Candidum.
- Nec asperum nec grumosum.
- Quod inter colandũ nõ vt cera coeat.
- In Sole diffusile.
- Ad motum lucernis non atra flamma collucens.
- Extinctum denique odoris suã vim conseruans.

L Eadem

Eademmet tradunt Plin. & Oribasius libro. 2. de virtute simpli. cap. 3. De opij temperamento ambigitur apud aliquos, nam licet omnium medicorum testimonio, quarto sit ordine frigidum, amaritudo tamē, mordicatio & exulceratio toto ore & gustu percepta, odoris grauitas, facilis inflammatio non mediocris sunt caliditatis argumētum. Verum quia in effectibus apparet refrigerare, ideo experimento & autorum grauissimorum testimonijs standum est, nam prædicta omnia euenire possent, propterea quod compositum est ex partibus quibusdam tenuibus, acribus propter quas efficitur amarum, oris vlceratorium & linguæ desiccatorium. Reuera tamen opium præditum est vi soporifera, atque tam vehementi ob insignē frigiditatem vt si plus quā deceat bibatur vi mortifera polleat, qua plerosque per somnos interēptos fuisse scribit Plin. Ideo Erasistratus & Diagoras opij vsum in totū dānauerūt, vt loco supra citato scribit Plin. Gal. tamē in eius vsu ita timidus est ac meticulosus, vt lib. 2. de comp. med. secūdum locos. c. 1. tit. de capitis dolore ex plaga aut casu Apollonij, in fine, dicat hæc verba. Rarò cogimur pharmacis ex opio vti cum videlicet præ doloris vehementia homo de vita periclitatur. Sic & ex opio collyria multis

detri

detrimento fuere, adeò tamen vt debilẽ ocu lum reddiderint & visus hebetudinem, audi tus etiam grauitatem induxerint: & libro. 3. eiusdem tractationis cap. 1. tit. de auriculari bus cõpositionibus, ego verò (inquit) quemadmodum dixi in vnaquaq; affectione proprio vtor medicamento, semperq; papaueris seccum fugio, neq; nisi vrgenti necessitate ad eius vsum peruenio. Lib. etiam. 8. eiusdem cõmentationis cap. 3. parum post medium, opio admiscere iubet calfacientia vt ipsum reddat innocentius. Nã dicit corpora viuentium mortificationi simile quippiam perpeti ab omnium ex opio & hyosciamo & mandragora compositorum medicamentorum vsu, multosq; assiduè talia accipientes ad immedicabilem frigiditatem particulas producere, ideo medicis mos est illis admiscere piper, castoreum, vel crocum, Gale. lib. 3. secundùm locos. tit. de aurium dolore ex inflammatione opium muliebri lacti & castoreo permiscet, eius tamen vsus per interiora quantum fieri possit fugiendus est.

CAPVT XIIII.

De Oleo.

OLEVM autore Gale. lib. 4. de simplic. medicam. facult. cap. 8. in fine extrahitur ex omnibus, in quibus succus pinguis reperitur. Nempè rhicino

raphanide, oliuis, nucibus, sesami semine, amygdalis & alijs oleosis, & pinguibus siue edulijs siue medicamentis. Talis autem succus deprehendetur ex promptitudine ad inflammationem. Ex qua etiam facilè intelligemus à re ipsa quæ inflammatur oleum educi posse, vt.4.physiologiæ cap.3. probè censet Fernel. dicens: Corpus omne quod inflammari potest olei cuiusdam esse particeps, huiusque solius gratia conflagrare. Quodcunq; autem olei est expers flammā non alere scribit. Nullum enim corpus esse ait ad inflammationem propensum ex quo sincerum oleum arte non elici posit, non adeps, non cera, non resina, non terebinthina, non vllum denique ligni stirpisvè genus: nulla radix, nullus flos, nullus fructus, nullum semen: atque in animalibus nulla pars est siue os siue neruus, siue membrana, aut caro: nihil denique in stirpium aut animantium genere vitam habuit, quod eo autore non posit oleū de se profundere, aliud quidem affluentius soloque pressu, aliud parcius maioriq; industria. Huius etiam causa quęcumq; viuunt inflammari posse affirmat, quin etiam in genere inanimorum quæ complectuntur inflammationi subiecta: eadem ait oleo esse finitima. Nam sulphur (quicunque metallorum naturas perscrutantur

tantur)terræ adipem,vel oleum, appellant, quod moderato calore cogitur atque concrescit. Verum quia (vt Galen.ait,lib.2.de simpli.medic.facul.cap.7.in fine,)olea quæ ex alijs rebus eliciuntur,(quæ quidẽ vt modo visum est quam plurima sunt)impropriè & per abusionem olea dicuntur.Quod verò ex oliuis extrahitur propriè oleum dicitur, sicuti fructus à quo cõficitur,solum ex omnibus oliua nuncupatur, & arbor ipsa olea. Ideo(omnibus alijs silentio prætermissis)de propriè dicto oleo in præsentia verba facimus.In hoc autem plura agnoscuntur fastigia,ex natalibus,ætate,& fructus à quo extrahitur maturitate & immaturitate, & ex saporum multiplicitate desumpta: de quibus omnibus sigillatim in præsentia differemus. Oleum quod est dulce & ex maturis oliuis confectum, humectatorium & calidum esse ostendit Galen. lib. 6. de simplic. medicam.facul.ambas tamen has qualitates moderatas habet aliâs non esset materia reliquorum medicaminum, calidorum, frigidorum,& humidorum,& siccorum. Siquidem (vt Galen. nos docet lib. 2. de simplic. medic. facul. cap. 26.) quidquid in mistura materiæ rationem obtinet nullam insignem nec speciem,nec facultatem debet exercere. Oleum vero talem esse materiam voluit Ga-

len. eodem. 2. de simp. med. facul. c. 22. & 25. propterea quod si frigida illi commisceas frigidum efficietur, postquam mistum est. Si calida calidum, atque ita quidem in humectantibus & siccantibus sentiendum esse dicit, quippè ait, quod ex media temperie est vtrisque summis inseruit. Hoc tamen tenue quodam & serosum in se se continet excrementũ, sicuti & reliqui succi, qui à fructibus extrahuntur, propter quod acre & mordax efficitur, gutturis exasperatorium, & oculorum mordicatorium, lotum vero & ab hoc excremento purgatum insuper salis expers omnem exuit mordacitatem & lenissimum est: quod expertus est Galen. lib. 2. de simp. med. facul. c. 18. dicẽs ac nos quidẽ persæpè oleũ huiusmodi, bibendũ nõnullis exhibuimus, nosque ipsi experimẽti gratia sumpsimus, prorsusque nullã intestinis mordacitatem attulit, gutturisq; minimè ad tussim impetũ cõmouit, tũq; cu oculis esset infusum sensum mouit exiguum, ipsa potius nouitate sola, atq; insolentia, quã acrimonia molestum. Quonam pacto lauari debeat non solum oleum, sed pix, resina, & cera, docetur à Galen. lib. 2. de simpl. med. facul. c. 25. sicuti quot modis aqueum & tenue excrementum ab eo separari queat cap. 18. eiusdem libri scribitur.

CAPVT XV.

De oleo omphacino.

OLEVM omphancinũ (quod crudũ & omotribes nominãt, duobus fieri modis scribit Plin. lib. 12. c. 27. nẽpè olea adhuc alba expressa, & ex drupa, ita ab eo vocatur prius quã cibo matura sit, iam tũ colorem mutans. Tertiũ modum adinuenit Gal. 6. de simp. med. facul. & lib. 12. metho. cap. 3. iniectis videlicet & maceratis in oleo dulci germinibus oleæ & ramis, nam ita om phacino simile oleum efficitur. Quod fit ex olea adhuc alba expressa omnibus præstat, deterius tamen est illud quod fit ex dru pa autore Plin. qui inter hæc duo hanc etiã ponit differentiã, quod hoc nempè ex drupa confectum viride est, illud tamen quod ex alba adhuc oléa exprimitur album. Ex quibus patet errasse Matthiolum libro. 1. in Dioscor. cap. 31. dicens oleum omphacinum exprimendum esse ex oliuis collectis quando ipsæ iam flauæ tantillum subrubescere cœperint, cum constet ex Plinio loco citato præstantissimum omphacinum non ex illis sed ex albis & immaturis elici. Constat etiam errare nostri temporis seplasiarios pro omphacino vsurpantes viride oleum, credentes verum, laudabileque

omphacinum hoc colore præditum esse debere, hinc etiam fit vt in oleo violaceo decipiantur. Nam cum iubeat Mesues illud facere super oleo viridi, ipsi oleum omphacinum accipiunt, minime animaduertentes id quod Plin. loco citato docet, verũ omphacinum albo colore esse præditũ, sed ex alijs adiunctis oleis (nempe amygdalino & sesamino quibus omphacinum maximè aduersatur) facilè intelligitur Mesuē per viride omphacinum non intelligere, sed vel illud quod fit ex drupa secundæ notæ vel (vt ego aliquando suspicatus sum) recens ab oliuis extractum. Ita enim nonnunquam viride pro recenti vsurpare solemus. Est etiã astringens & acerbum oleum hoc omphacinum vt Galen. lib. 6. de simpl. med. facul. & libr. 12. method. c. 3. & 3. de sanitate tuend. c. 6. & alijs in locis nos docet. Quod compertissimum illi erit qui eundem Galen. legerit lib. 4. de simpl. medic. facul. cap. 7. quo loco sic scribit, Arborũ fructus omnes quotquot nobis vbi maturuerint, dulces apparent, nuper enati acerbi, sicciq; sunt consistentia, pro sui nimirum parentis quisque natura, (ceu quodam ait loco Theophrastus) oliuæ, vuæ, mala punica, mora, palmulæ, pyra, at progressu temporis humidiores redduntur, acquiruntq; pro acerbitate aciditatem,

quam

quam sensim exuentes, postea dum maturescunt ac perficiuntur, dulces euadunt. Sunt qui non in arboribus sed postea cum decerpti, conditiq; aliquandiu fuerint, dulcedinē accipiunt. Alij sunt qui non interueniente aciditate, sed palam ab acerbitate in dulcedinem transeunt, sicut oliuæ. Placuit itaque totam hanc referre sententiam propterea quod proposito nostro mirificè conducit. Nam si verum est, omphacinum oleum è nuper enatis immaturisq; oliuis extrahi, sequitur ipsum astrictoria & acerba qualitate præpollere. Quæ qualitas tam congener illi est & cognata, vt per eam solam quale oleum sit se agnouisse fateatur, Galen. 6. de simpli. medic. facul. & 3. de sanit. tuend. cap. 6. nulla de eius generatione aut præparatione interrogatione habita. Ex hac etiam qualitate habet vt frigidum sit, dicente Galen. 6. de simpl. medic. facul. quantum hoc oleum habet astrictionis tantum ipsum habere frigiditatis: cuius rei demonstratio ex eodem depromitur Galen. lib. 4. de simpl. med. facul. cap. 7. dicente: quòd si fructus cum initio acerbi essent, tempore maturescentes dulcescunt, si maturatio omnis à calore perficitur, sequitur ex calore ipsis prouenire dulcedinem, aciditatem verò acerbitatemque à frigore constitisse. Ex regione etiam oleum

maximam desumit varietatem. Siquidem illud quod in Hiberia & Hispania nascitur, quod Hispanum vocant, similem cum omphacino facultatem habere plerisque in locis fatetur Galen. Est nempe tale oleum frigidum, crudum astringens, & crassarum partium: contrariam facultatem dicit habere sabinum, calidam nempè, tenuem & discussoriam, & cum rarefacere & attenuare & discutere aliquid oleo volebat Galen. semper sabino fuit vsus, & ab Hispano abstinebat. Oleum etiam Istricum similem Hispano & omphacino facultatem habere sentit Galen. lib. 12. metho. cap. 3. Est autem Ister (Plinio lib. 4. cap. 12. & Solino cap. 23. & Strabone libro primo autoribus) celebris Germaniæ fluuius, cui & Danubij nomen inditum est. Quo in loco consequens rationi est fructus non maturescere nec ad perfectum incrementum peruenire. Lib. etiam. 3. de sanit. tuenda, cap. 6. dicit Galen. se quodam in Macedonia degustato oleo quod fit circa Aulonem deprehendisse eandem cum Hispano vim habere. Porro oleum vetus quod quidem ex dulci inueterato efficitur autore Galeno libro. 6. de simpli. medicam. facult. calidius est & potentioribus ad euaporandũ viribus. Quod verò ex cruda perficitur, ait, dum reliquũ quidpiã seruauerit

astri-

astrictionis mistæ permanere facultatis, vbi vero illam prorsus abiecerit reliquo fieri simile. Nam quodcunq; oleum, antiquitate calidius semper efficitur. Vtrũ verò tenuius vel crassius efficiatur dubium est apud Galen. nam libr. 1. de compo. med. secundum genera cap. 4. in initio, vetustatem facere oleũ & adipem tenuium partium asseuerauit. Cõtrariam tamen sententiam, protulit idem Galen. lib. 2. de compo. medicam. per genera. cap. 12. & 3. de facul. alimentorum, cap. 11. nempè oleum longa vetustate incrassari, cui videtur fauere Dioscor. libro. 1. cap. 27. in fine dicens si vetusti non sit occasio in vase decoquitur ad mellis crassitudinẽ vt vetustatem repræsentet. Quæ sententia magis rationi consonare videtur resolutis nempe tenuibus partibus, temporis diuturnitate necesse est incrassari. Oleum etiam lucernarum tenuium partium existere & virium ad euaporandum aptarum libro. 1. de compo. medicamen. secundum locos, capite. 2. titulo de pharmacis compositis ad Alopeciæ affectionem, scripsit Galen. Quam tenuitatẽ illi ex lucerna, in qua veluti coquitur accedere dicit, quare illo pro sabino nos vti posse crediderit fortè aliquis. Verùm quonam pacto quodlibet tale debeat iudicari docet Gal. li. 6. de simp. med. fac. sic scribẽs. Porro

oleum pingue æstimatur, iudicaturque vi-scositate, tenue verò si perluceat, si purum sit, si plurimum minima eius portione inungatur, si facile à cute combibatur, si modicũ eius latissimè per corpus extensum sibi manet continuum. Hæc de olei speciebus & temperamento sufficiant. Nunc paucula de eius facultatibus dicere placet. Erat enim oleum apud antiquos maximo vsui. Quare non mirum est si & illud candidum reddere & multis parare modis curabant, siquidem non modo in ciborum condimentis oleo frequenter vtebantur, sed etiam vt agiliores, promptiores, ac expeditiores euaderent ad obeunda corporis munia, frequentius sibi oleo totum corpus perungebant. Fuit præterea in magno ac præcipuo vsu apud veteres oleum ad perungendos athletas, qui in theatris palęstræ nudi certabant: non solum vt eorum corpora agiliora, expeditioraque in certamine redderētur, sed vt etiam ij difficilius se se manibus comprehenderent, qua de causa omnes & balnea frequentabant & thermas: namq; ob olei contractas sordes vt corpora sæpius perluerentur maximè oportebat. Obibant autem id munus serui in balneis qui non modo corpus totum intrantibus abluebant, sed & ipsum quibusdam strigibilibus abradebant, ad hoc opus aptissimis.

mis. Quos alij ex auro, nonnulli ex argento, quidam ex ferro, aliqui ex ebeno, ac etiam ex præclaris lapidibus sibi comparabant, denique pro nobilitate & facultate eorum qui ad balnea confluebant. Pertractans Dioscor. de oleis simul agit de tribus sorditierũ speciebus, suo tempore ad aliquos vsus colligi solitis, quarum vna erat illa, quæ super aquas enatare solebat, post ablutionem omnium illorum qui balnea intrabant. Secunda erat sudor, qui à corporibus se se exercitantium abradebatur: quæ quia puluere inuoluebatur erat corpulentior. Tertia sordities colligebatur ex parietibus & ab statuis, à vaporibus ab oleo & corporibus exercitatorum elatis super ipsas paulatim congesta. Hæc inter alias efficacior experiebatur, ratione viridis æris quod oleo mistum simul cũ hac sorditie ab statuis euellebatur. Erant palęstræ loca quædam publica cõmuniaq; in quibus iuuenes exercitabãtur omni exercitij genere: luctandi, currendi, saltandi, digladiandi, intra quas palęstras, parietibus præstantium virorum tam in toga quam in armis æneæ statuæ adhærebant, ad decorẽ & populi magnificentiam, & ad reliquos iuuenes ad similia virtutum genera promouendos. Reliqua olea tribus fiunt modis, per expreßionem & macerationem & con

coctio-

coctionem, per expressionem vt oleum ex amygdalis, & ex nucibus, rizio, sesamo & similibus: per macerationem (infusionē medici vocant) vt oleum rosarum, rutaceum, nenupharis, iniectis nempè in vas olei dulcis oliuę, talibus medicamentis. Tertio modo fiunt per coctionem vt oleum vulpinū. Verùm coctio debet fieri in duplici vase, iuxta Galeni sententiam, qui solitus erat semper olea & vnguenta ad hunc modum calfacere, iniecto videlicet vase oleum continenti in aliud vas magnum continens aquam feruentem.

CAPVT XVI.
De Cera.

CERA autore Plinio libro. 21. historiæ mundanæ capit. 14. fit expressis fauis mel continentibus. Plinius modum exprimendi docet. Hanc medium tenere calfacientium, refrigerantium, humectantium & desiccantium voluit Galen. libro. 7. de simpli. medicam. facul. & ob hanc causam aliorum medicamentorum dicit esse materiam. Quam etiam sententiā tenet libro sexto de compos. medicamen. per genera capite. 8. in medio, sic scribens, de cera dicimus quod in pharmacorum compositioni-

tionibus materiæ locum obtinet: non virtutis efficaciam adiuuat, quia nullam excellētem exerit qualitatē, hac de causa rarò ipsa sola vtimur sed admista aliquibus succis, pulueribus, gummi, & oleis, quę sua tenacitate & viscositate medicamentorum vires conseruat, nè difflentur, & euanescant, sed parti cui apponuntur eisdem qualitatibus adhærere & immorari facit.

Eligi debet Dioscorid. sententia libro. 2. cap. 75.
- Subfulua.
- Subpinguis.
- Pura.
- Odorata.
- Halitum quadamtenus melleum referens.

Debet prætetea cera esse mollis & noua, non sicca, vetusvè vt Galen. docet libro. 4. de compon. medic. per genera. cap. 7. in fin. & libro. 2. ciusdem tractationis cap. 1. in vltimis verbis: cuius etiam sententiæ libro. 4. per genera. cap. 5. parum post principium non est oblitus quo etiam loco ipsius ætatem describit dicens, est enim reuera melior noua cera veteri, non tamen vt iam bimulā, trimulamvè reijcias: fugienda etiam est cera illa, quæ vt. 4. de simplic. medicam. facult. cap. 6. scribit Gale. ex acri & thymoso melle conficitur, cū planè ab omni mordacitate alie-

alienum præparare voles medicamentum. Ex regione etiam euariat. Nam vt Plin. & Dioscor. aiunt) præstantissima natione est Pontica, deinde Cretica, post has Corsica, quam ex Buxo fieri scribit Plinius. Illam vero quæ ex Africa ad nos adportatur (verberiscam nominant) omnium infimã esse cẽseo. Quapropter in medicamentorum vsu improbanda. Cera elota est emplastrica, & omnis expers mordacitatis qua de causa pro adipe caprino ponitur à Galeno lib. 8. metho. cap. 5. ad finem: quare mirum non est si vt ait Dioscor. lib. 2. cap. 75. in fine in potu dyssentericis prosit. Rationẽ abluendi docet Galen. lib. 2. de simplic. med. facul. cap. 15. verumtamen ad lauandum idonea est (vt. 4. de simpl. medic. facul. cap. 6. in fin. Galen. scribit) quæ ex melle facta est tum aquosiori tum minimè mordaci. Hoc tamen semper est obseruandum, quod quotiescunque calfit cera, semper debet calfieri in duplici vase, iuxta Galeni sententiam lib. 4. de compo. med. secundum locos. cap. 1. parum post medium ad hunc modum iubentis ceram calfacere. Artem etiam docet Dioscor. qua alba cera conficiatur, licet apud nos sine aqua marina albissima fiat per insolationem & multam lotionem, quæ in vnguentis refrigerantibus præstantior est. Nam illa

de qua

de qua Dioſcor. tractat ex marina ſalſugine acrimoniam non mediocrem ſibi adciſcit. Reuera tamen cera alba eſt quæ nõ arte ſed ſua ſponte talis prouenit in Ponto, vt Gale. lib. 1. de compo. medic. per genera. cap. 12. memoriæ mandauit. In alios etiam colores trahitur vt docet Plinius loco ſupra citato, rubra miſta anchuſa aut pſeudominio paratur, viridis, viride æris miſto. Nigra, atramẽto vel vſta charta, reſina miſta optima fit vt veluti glutino res iungat, quamobrem Cancellarijs inſeruit.

CAPVT XVII.
De Melle.

QVIA vt autor eſt Galen. lib. 1. de antidotis cap. 4. conijcienda ſunt ſemper in antidotos mella quantùm fieri poſsit optima, quæ quidem antidoti quam plurimæ ſunt mel recipientes; & quia ipſo ſæpè vt alimento vtimur, & extrinſecus ratione medicamenti applicamus: ideo medico non mediocris cura eſt impendenda circa examen & mellis conſiderationem. Cuius genera ex locis diſtincta fecere autores ex quibus miram & ingentem deſumit varietatem, Nam vt à Plinio maximo certè naturæ interprete exordiamur, hic enim lib. f. 113. H

21. cap. 13. mel quoddam in Põto nasci scribit, quod commanducatum insaniam facit: ob quam dicit menomenon vocari: id existimat contrahi ex flore Rhododendri, quo scatent syluæ, & cap. 14. subsequenti inquit aliud in Creta miraculum, mellis mons est Carma, nouẽ millia passuum ambitu: intra quod spatium muscæ non reperiuntur: natumq; ibi mel nusquam attingunt. Eodem etiam cap. 13. alibi gigni mel affirmat quod intra corpus assumptum mortiferum est venenum, atq; idcirco ab effectu venenatum mel appellatur. Cuius signa dicit esse quod omninò non densatur, quod color magis rutillus est, odor alienus sternutamenta protinus mouens, & quòd ponderosius innoxio: & quòd qui edere abijciunt se humi refrigerationem quærẽtes, nam & sudore diffluũt. Lib. etiam. 2. cap. 74. Dioscor. & libro. 7. de simpl. medic. facul. tit. de melle Galen. scribunt mel in Sardinia natum amarum esse, eo quod apes ibi ex absynthio vescantur. In Ponto etiam propter eandem causam amarum mel inueniri: tenet Gal. lib. 1. de antid. c. 4. Quã amaritudinem ex multa vetustate, & longa coctura etiã contrahere, eo loco & 4. de simpl. med. facul. c. 17. memoriæ mandauit: Patremq; suum dicit mel quoddã habuisse, ita amarũ acsi in Ponto natum foret,

1. de antidot. c. 4.

eo in tractu vbi ex absinthio apes mel colligunt, idipsum tamen & Atheniense & optimum fuisse dicebat. Verum temporis diuturnitate amarum euasisse, quod post patris obitum amarum adhuc plus fuerat effectũ, & nigrius, non tamen crassius multo euasit: id quod mellis optimi præcipuum dicit esse indicium, & lib. 1. de antid. c. 2. mel è Gnidio aduectum, senectute, vini cõditiones assumere scribit, atq; idẽ quoq; Rhodio accidere dicit. Vnde quidã ait theriacã Rhodio melle cũ admiscuisset, deindeq́; tertio post anno ipsam illi nõ modo gustu sed etiã odore vinũ redolere inuentã ostendisset: quam postquã Gale. cõspexit, id quod euenerat, ex melle quod imposuerat accidisse dixit. Mel tamen præstantissimũ quod vbique solet laudare Gal. & præsertim lib. 1. de antid. cap. 4. est id quod in Athenis nascitur, præcipuè in Himentia, aut Thasia prouincijs, mox quod in Cicladibus insulis, & in Sicilia Hibleum cognomine gignitur. Quod itidem scripsit Dioscorid. libro. 2. cap. 74. Verumtamen nostra in Hispania mella nascuntur non minus præstantia Atheniensibus. Nam si mel quod in Cerrato gignitur Gale. cognouisset, non illi Athicum prætulisset, siquidem omnibus electionibus dotatum est, quæ optimo solẽt abscribi.

Quales autem hæ sint, docet Galen. lib. 1. de antidotis cap. 2. & 7. metho. cap. 6. parum post principium, & lib. 4. de sanit. tuen. cap. 6. in initio, docet etiam Dioscor. lib. 2. c. 74. Hæc enim sunt quæ sumuntur ex accidentibus naturam eius consequentibus, sapore, colore, odore, & corpore, sapore acre & dulcissimum esse oportet. Mel itaque inquit Galen. citatis locis, & libr. de bono & malo succo cap. 12. quod optimum esse perhibetur, dulcissimum est atque acerrimum, eo quòd mellis natura dulcedini acrimoniam iunctam habet. Nam vt ipse. 1. de antidotis scribit, quoties mustum è dulcibus vuis expressum ad dimidias tertiasvè coquendo deferbuerit quamuis dulcedine melli non cedat, vt aqua tamen obtusum est nec sensum vellicat, atqui mel (subdit) huius modi non est, sed illud acrimoniam dulcedini ita iũctã habet, vt præstantissimum id sit quod hisce duobus excellit. Colore namq; luteum mel sit oportet: corpore verò nec crassum, nec concretum, nec valde dilutum, sed vniforme totum, atque ita tenax vt si digito particulam ex ipso sustuleris, defluereque permiseris longissima linea perinde atque viscũ descendat, non cæsim non frustatim: odore etiam debet esse suaue: substantiaq; adeò purũ vt totum pelluceat. Quod verò his quali

tatibus

tatibus destitutum est malum esse prohibetur. Nam vt lib. 7. metho. cap. 6. habetur, si abrumpitur nec dimissum ad terram vsque continuitatem seruat, id aut crassius iusto est, aut tenuius, aut partium dissimilarium. Et subdit, deprehendas autem id si diligentius inspicias aut crassitudines aut humiditates habere innatantes: quæ nec inter se sint similes, nec etiam toti: cerosum etiam magis mel dicit esse quod & crassius est, & cui tales quæpiam crassitudines innatant. Sicuti excrementosius ac perfici concoquiq; difficilius, tum quod totum humidum est, tum in quo multæ in partibus sparsæ apparent humoris guttæ: malum etiam ait esse in quo vel ceræ qualitas aliqua, vel propolis, vel id genus alia gustu deprehenditur. Quippe inquit nullam penitus alterius cuiuspiam rei eminentem in se continere qualitatem debet. Quocirca quod thymum plane redolet non probat, ex eo quod est parum consummatum, nec planè quodammodo mel, quamquam à quibusdam id laudari dicat eoque fieri vt nonnulli venditores incisum thymum illi iniiciant, quo id redoleat videaturque optimum. Verùm hoc quod tam improbè thymum olet, nō laudat, multoq; minus si cui iniectum thymū sit. Quod autem quandam thymi qualitatem confu-

sam odore gustuvè præfert id dicit se non vituperare. Nam vt ex eodem. 1. de antidotis cap. 4. constat, apes optimum mel reponunt in locis in quibus colles thymo & origano sunt pleni. & lib. de bono & malo succo cap. 12. prauum mel esse dicebat quod aut male olet, aut gustatum extraneæ cuiusdam qualitatis admistionem detegit. In eius etiam coctione non leuis est impendenda cura. Siquidem (vt ait Galen. 3. de alimentorum fac. cap. 39.) quod non planè coctũ est in ventriculo atque in intestinis flatus quosdam gignit, contra quod in decoctione spumam omnẽ abiecerit, flatus est expers. Concoquitur rectè eodem Galen. autore libro. 4. de sanit. tuend. cap. 6. aut super carbones, aut ligna omnino arida quę ἀκαπνα Græci vocant: quo etiam loco terminum cocturæ descripsit dicens, mel coquendũ esse modico igne, quoad spumare desinat. Et subdit malum quidẽ mel multã egerit spumã, quod etiã diutius coqui debet: optimũ verò vt breuissimo tẽpore coquitur, ita minimũ spumę euomit. Vnde nec pari coctione est opus. Et c. 7. eiusdẽ tractationis optimũ mel semper esse curiosè despumandũ dicit, curiosè autẽ despumabitur, si eiusdẽ Gale. præcepto, lib. 3. de alimen. facul. c. 39. spumam statim vt emerserit cõtinenter ab ipso substulerimus.

De temperamento eius sciendum est autoritate Galeni lib. 7. de simpli. med. facul. titul. de melle, calfacere & exiccare ordine 2. propter quas qualitates ait idem Galen. lib. de bono & malo succo. c. 12. & lib. 2. de naturalib. facul. c. 8. in fin. 1. item de alimen. facul. cap. 2. & 3. lib. eiusdem tractationis. c. 39. commune habere vt facilè in bilem vertatur in iuuenibus, & æstate, & in corporibus calidis: naturis tamen quæ pituitosiores sunt cibum esse in primis accommodum, seniliq; ætati sicuti frigidis quoq; morbis. Et lib. 8. de compo. med. secundùm locos. c. 7. mel eandem cum vino facultatem habere dicebat in nutriendo, concoquendo, putrefactioni resistendo, & frigidam & humidam intemperiem sanando: præterquam quòd non condensat substantiam corporum quæ contingit: sed pro hac facultate vim extergendi & aperiendi, ac puros reddendi meatus & vrinam ciendi, non paruaque alia sanè auxilia posidere.

CAPVT XVIII.

De Saccharo.

MAGNA quidē & cōtrouersiæ plena est disputatio, inter iuniores medicos circa sacchari consideratione̅,

dicentibus nonnullis saccharum quod sub mellis genere scripserunt veteres, praesertim Dioscor. & Galen. in India & Foelici Arabia nasci, diuersum â nostrate saccharo esse: alijs verò idem esse putantibus. Verum vt vtrorumq; constent sententiae: & veritas ipsa clarius elucescat, in primis statuendum quaenam, qualisvè res sit quam nunc passim saccharum nuncupant: deinde ostendendū quae de saccharo ab antiquis sint dicta. Saccharum, vel zuccharum nostrum (vt Siculi & Lusitani, & illi qui insulas fortunatas, ac Sancti Dominici & Maderae inhabitant, in quibus quotannis magnus est sacchari prouentus, nobis quotidie referunt) est succus à proprij generis planta bene contrita expressus calore ignis plus minusvè excoctus, densatus & defoecatus, in zuccharum tantum candidius & durius euadens quanto plus coctionis & defaecationis tolerauerit. Ex diuersa autem huiuscemodi defaecatione & coctura contingit varios ei perfectionis numeros adscribi, vt quoddam summum dicatur & perfectissimum ac finum, à fine nomen vulgo accipiens. Quia videlicet multa coctura & defaecatione ad finem bonitatis peruenerit, candore, duritia, suauitate praecipuum. Aliud infimum huic penitus contrarium, lentum, humidum, nigricans,

cans, insuaue & fæculentum, primæ decoctionis vocatum. Inter duo hæc extrema duo quoq; sunt media, alterum infimo proximum secundæ, tertium proximum summo, tertię decoctionis nominatum. Planta à qua exprimitur, humectis locis proprio semine surculisvè seritur, exteriori quidem specie arūdini magnæ similis, interiori substantia valde dissimilis. Nam pulposa est, grauis, mollis, & succi plena: cum arundo è contrario sit leuis, dura, vacua. Hæc de sacharo nostro habemus. Quæ antiqui de suo sacharo scripserunt sunt hæc. Dioscor. lib. 2. cap. 74. cui titulus est de meile, postquam loquutus abundè esset de mellis generibus, inquit: est & aliud concreti mellis genus quod saccharon nominatur: in India verò & Fœlici Arabia in arundinibus inuenitur: salis modo coactum est: dētibus vt sal fragile, aluo idoneum & stomacho vtile, si aqua dilutum bibatur. Vexatæ vesicæ, renibusque auxiliatur, illitum ea discutit, quæ tenebras oculorum pupillis offundunt. Eadem Gale. lib. 7. de simplic. medic. facul. titul. de melle scripsit: vnum addens minus esse quam vulgare mel dulce, nec sitim facere: Plin. li. 12. cap. 8. hæc de sacchara scripta posteritati reliquit. Saccharon & Arabia fert sed laudatius India; est autem mel in arūdinibus col-

lectum, gummium modo candidum, dentibus fragile: amplissimum nucis auellanæ magnitudine, ad medicinæ tantum vsum. Num verò antiquorum saccharum vna & eadem res cum nostro sit, controuersum apud recentiores medicos est. Siquidem Manardus pluribus in locis, & præsertim epistola. 2. libri. 2. diuersas res esse opinatur: censens in alio arundinum genere antiquorum saccharum concreuisse, quod Dioscorid. Plin. & Galen. inter mellis genera scripserunt concrescere ex cælesti rore, quemadmodum & id quod mannam vocamus: non autem in his arundinibus è quibus in aqua decoctis nostræ ætatis saccharum in pluribus Europæ locis & in Valentia Hispaniæ exprimitur. Si quis verò petat saccharum illud antiquorum an in totum perierit, & quænam res sit. Respondet Manardus rationi consonum esse cum res mera naturæ sit, nullum cultum artemque desiderans, quòd extet adhuc, & ad eam rem quam nunc mannam vocant referatur, sub qua egit Galen. sub nomine mellis roscidi vel aerij. Hoc idem Manardus dicit esse verum saccharum candum, & sic vocari eo quod nimia solis excandescentia obduruerit. Verùm ait non portari hoc tempore quoniam ex nostro zuccharo, quater

vel quinquies excocto lucri maioris corradendi gratia ſeplaſiarij rem ſimilem facere didicerunt, arundines quoque ipſi immittentes ſupra quas videri poſsit conglobatum & goſsipio inuoluentes vt naui ex orientalibus regionibus inuectum putetur. Hoc etiam cenſet eſſe zuccharum alhuſar Auicennæ libro. 2. cap. vltimo, vbi ait zuccharum Alhuſar eſſe mannam cadentem ſuper Alhuſar & eſſe ſicut fruſta ſalis, à qua ſimilitudine hoc ſaccharum ab eo ſal Indus interdum nominatur & præcipuè. 1. 4. tract. 2. cap. 22. de aſperitate linguæ, vbi tenere in ore ſcribit ſalem qui ab India deportatur colore ſalis, dulcedine mellis: dicit tamen ſacchari noſtri, quod ſe legiſſe meminerit, nullam apud Galen. nec apud medicos Galeno antiquiores eſſe mentionem. Cæterum Matthiolus, & alij plerique medici tenent ac pro comperto affirmant commune hoc noſtrum ſaccharum, & illud quod ab antiquis deſcribitur proculdubio vnum & idem eſſe, eo quòd ex eadem proueniant planta, hoc diſcrimine variantia, quòd noſtrum ab ipſis plantis arte exprimitur, antiquorum verò ſaccharum tenuior ac præſtantior pars medullæ arundinum ſacchariferarum fuit, quæ per internodiorum fiſſuras exiens ſolis calore concreuerat,

vt & saccharum nostrum calore ignis arte concrescit & addensatur. Quod si antiquorum illo sacchаro nunc caremus cum tamē antiquis eius fuerit vbertas: causa est quia cum prisco illo tempore nō innotuisset exprimendi ratio: necesse quidem erat, vt arundines sacchari liquore prægnantes, annis cō pluribus adultæ & adhæc falcem nunquam expertæ per se liquorem exudarent: veluti ex innumeris arboribus, gummi & resinæ emanant: nostri tamen æui homines cum artem modumq; inuenerunt quo saccharum concisis, decoctis, expressisq; arundinibus copiosius elicerent: factum est, vt nullis remanentibus quæ saccharo plurimorum annorum ætate turgeant, naturæ impedita sit operatio: deperditumq; hac de causa sit antiquorum saccharum. Et si non desint nonnulli, qui Diui Thomæ, itemq; Maderæ insulas lustrarent, affirmantes adhuc, his quidem in locis saccharum inueniri in arundinibus sacchariferis concretum: non illi dissimile quod arte fit, & finum cognominatur postquam ab illis sponte emanarit gummi modo. Imo & artis exprimendi & coquendi, ex antiquis nonnulli mentionē fecerunt, vt inde facilè intelligatur nostrum hoc saccharum antiquis autoribus notum extitisse. Nam Solinus de India verba faciēs cap. 45.

&

& cap. 65. inter cętera sic ait. Quæ palustria sunt arundinem creant ita crassam vt fissis internodijs lembi vice vectitet nauigantes & è radicibus eius exprimitur humor dulcis ad melleam suauitatem. Extant etiam Varronis versiculi, qui idem Sole clarius demonstrant: huiusmodi autem sunt.

Indica non magna nimis arbore crescit arundo
Illius è lentis premitur radicibus humor
Dulcia cui nequeunt succo contendere mella.

Lucanus itidem. 3. Pharsaliæ parum post principium ita scriptum reliquit.

Quiq; bibunt tenera dulces ab arundine succos.

Statius quoque Pampinius libro. 1. suarum syluarum sylua. 6. sic ait.

Et quas percoquit Æbusita cannas.

Aliàs vt alij legunt Ebosia. Strabo præterea sacchari mentionem fecisse constat, nam libro. 15. suæ Geographiæ in hunc modum scribit. Erastothenes arborum radices, præsertim magnarum arundinum & natura & decoctione dulces esse tradidit. Et deinceps ex eiusdem Erastothenis mente dixit, etiam arundinem mel sine apibus gignere. Hęc de saccharo à tot priscis autoribus scripta reperimus, quorum sententijs Galen. consentire videtur, lib. 4. de simplic. medic. facul. cap. molles radices calamorum maximè Ægyptiorum dulces esse scribens. Ex quibus liquet

quet nostrum saccharũ quod officinæ Arabum more zuccharum appellãt à veterum saccharo non nisi preparationis modo distare; siquidem veteres saccharum expressêrunt, quod tempore nostro coquitur. Non est enim nostrum saccharum nisi arundinum succus, qui per plurimam ignis coctionem dealbatur & induratur. Prisci hanc coquendi rationem aut ignorarunt, aut ea studio & industria vti noluerunt, quòd eo erãt contenti, quod ex recentibus ipsis cannis & earum radicibus exprimebatur, vtpotè cuius tunc non tantus erat vsus, quantus nunc extat, & si, vt ex Strabone & Statio cõstat, etiam coquebatur. Porrò saccharum nostrũ à saccharo antiquorum non differre ex eo etiam liquet, quòd Serapio de nostro verba faciens Græcos autores Galenum nimirum & Dioscoridem affert, quod magnum argumentum est antiquorum & nostrum idem esse. Nam quando id de quo tractat ipse, res noua est, nullum ex antiquis autoribus affert. Etiam si Manardus lib. 15. epist. 5. opinetur Serapionẽ inter quatuor quinqueuè zucchari vt ipse vocat genera, vulgare hoc nostrũ penitus præteriisse, cũ tamen cõstet plures sacchari facultates quas illic attulit Serapio, Auicena huic nostro tribuisse: vt vtriusq; capita conferenti fiet manifestum.

Cap. 50.

Ei

Ei verò Manard. opinioni quę tenet zuccha rum Alhusar Auicen. esse antiquorum saccharum, Matthiol. minimè astipulatur, primo quia Alhusar siue Alhasser (vt Belluēsis castigauit) Arabica lingua arūdinē nō significat. Sed quādā Ægypti & Arabię arborē, sic ab eius loci indigenis appellatam quādoqui dē arūdinē Arabes, vt testatur Serap. Casab dicūt: quod manifestè declarat zuccharū Alhusar apud Auice. huiusce arboris esse mannā vel gummi, nō autem Græcorū saccharū in calamis concretū. Cæterū quod Alhasser apud Arabes arbor sit ex Serapione probat cap. de zuccharo. Illud insuper Matthiolus suā cōprobare sentētiā arbitratur quod eodē loco addit Auic. sic inquiēs. Et in zucchato quidē Alhusar est cum abstersione pauca stipticitas, & amaritudo. Siquidē stipticitatis & amaritudinis, quæ in antiquorū saccharo fuerint nusquā meminere Diosc. & Gale. nec itē quod cōferret id pulmoni & aquę intercutē vt paulò infra voluit Auic. Quod si dixerit deinde zuccharū hoc oculorū morbis, pariterq; renum & vesicæ vitijs auxiliari, quæ sane antiquorum saccharum posse testatur Dioscorid. non tamen ob hoc dici potest zuccharum Alhusar Auicennæ esse antiquorum saccharum. Sed de his satis. Quare satius est, vt ad optimi & vitiosi

notas

notas perueniamus: optimi autem notæ in hoc schemate continentur.

Saccharũ præstantissimum est.
- Durum.
- Solidum.
- Mutuo metarum collisu sonorum, lignorum siccorum solidorum instar.
- Leue ob siccitatem & imperceptam raritatem.
- Dulcissimum.
- Candidissimum.
- Niuis in modum scintillans.
- Cohærens.
- Æquale.
- Valentinum.
- In metas pyramidum æmulas coactum, paruas ponderis libræ vnius & dimidiæ aut duarum coactum.

Hoc charissimum habetur & confectionibus siccis aptissimum. Huic, bonitate proximum habetur quod è Maderæ insula nobis suppeditatur, sed in metas ponderis librarum. 6. 7. 8. & 9. & decem formatur. Affertur & ex Canarijs insulis pretio & dotibus prædictis inferius in metas maximas formatum pondere nimirum librarum. 10. & 12. Omnium infimum habetur quod foris albidum

dum intus subrubrum tanquam alio far-
tum & foris dolo tectum. Hoc glutino-
sissimum existit condituris siccis ineptum:
liquidis tantum ex vsu existens, qualia se-
rapia sunt. Saccharum quod defæcatius &
candidius est officinæ finum appellant Aui
cen.& Mesues tabarzet, quod vero minimū
est expurgatum, rubrū nominant. Atque de
sacchari electionibus hæc dixisse sufficiat.
De eius temperatura nōnihil deinceps dicē
dum. Vniuersum saccharum calidū esse in
fine primi, humiditatemq; illi inesse Auic.
testatur. Antiquum verò eiusdem Auic. sen
tentia ad siccitatē in primo declinat, & quan
to vetustius magis redditur, tāto plus exic-
cat: & (vt ego quidem arbitror) antiquitate
non tantū siccius, sed & calidius euadit mel-
lis ritu, quod docēte Galen. spatio tēporis *4. simpl.*
per suum ipsius calorē dulcedinē exuit & *cap. 17.*
amarum ac calidius redditur. Censet tamen
Auic. tabarzet, quod nostrū finum existit,
alijs frigidius esse & tenuium partium habe
ri, quod inquā rationi consonū est, nisi enim
temperatum esset, aut paululum ad calorē
declinaret, materiā medicamentorū frigido
rum esse nō posset. Quin & Gale. 8. metho.
c. 4. suum saccharū febricitantibus exhibet,
tanquā medicamentum citra calorem deter
gens & meatus ab obstructione liberans.

Quod Serapio itidem ex eius mente confirmat dicens zuccharum autoritate Galeni 11. de ingenio ingreditur medicinas quæ abstergunt & aperiunt opilationes & mundificant vias, hæc Serapio. Licet sententia ista. 11. methodi non reperiatur: elicitur tamen ex eodem Galen. 8. method. cap. 4. vbi sacchari mentionem facit, & lib. 7. simpl. tit. de melle, de saccharo hæc scribit. Sed & sacchar vt vocant quod ex India atque Felici Arabia conuehitur, in calamis vt aiunt concrescit, & ipsum mellis est species, minus certè quam nostrum dulce, sed adsimiles ei vires obtinens, quod ad abstergendum, desiccandum & digerendum attinet. Porro quatenus nec inimicũ stomacho est, ceu nostras, nec sitim afferens, eatenus ab illo substantia differt. Hæc Galenus. Cæterũ dum ait minus esse dulce quam mel & sitim non inferre clarè innuit exiguum illi inesse calorem adeò vt primum gradum non transcendat, aut si Serapionem sequaris calidum sit in principio secũdi, humidum in medio primi. Verum hæc de tabarzet intelligi debẽt: nã rubrum Arnaldus à Villanoua melle calidius esse arbitratur, quapropter in eos seplasiarios inuehitur, qui frigida serapia similiter & condita saccharo isto rubro cõcinnant. Vnde ait ea sumẽtes ob caloris excessum

sum non mediocriter lædi. Saccharum abstergendi & lauandi obtinet facultatē, quin imo in abstergendo, vt autor est Auicenna, melle inferius non est. Pectus lenit & remouet asperitatem ab eo, ventriculo bonum existit, dummodo bilis porracea in illo non generetur, tunc enim nocet. Colico dolori cum oleo amygdalino sumptum confert. Siticulosum est, sed minus quam mel, quapropter iecur flauæ bilis prouentui obnoxium, impensè lædit vitandumq; ab eo est, nisi cum aliqua re, condimenti aut conseruationis gratia admisceatur, quæ retundendo dulcedinem calorem quoque mitiget, qualia sunt cucurbita, peponum, vel cucumeris femina, intubi domestici vel syluestris radices, lactucæ, cauliculi, succus cicorij & vuæ immaturæ & id genus alia.

CAPVT XIX.

De lacte phthisicis congruo alimento deq́ue eius in officinis vsu.

IN tabe si febrem & emaciationem expectes refrigerante & humectāte victus ratione vtēdū est, si verò ad pulmonis vlceris attēdamus sicca victus ratio cōueniet: verū cū vlcus, febris & emaciationis sit causa, & emaciatio & febris in affectu isto pulmonis

vlcus veluti symptomata morbum sequantur: indicatio quæ ab vlcere sumitur, indicationem sumptam à febre obumbrabit, licèt quæ à febre sumitur indicatio negligenda nõ sit. Igitur sumpta à pulmonis vlcere mali causa indicatione. In primis phthisicis aer siccus parari debet (talis enim illi ex vsu maximè est) quod manifestè voluit Galen. lib. 5. metho. c. 12. dum phthisicos mittebat ad Tabias locum videlicet inter Surrentum & Neapolim existentẽ, vbi aer siccior erat: cuius adminiculo pulmonis vlceribus siccatis sanabantur. Quod etiã intuens Celsus lib. 3. c. 22. phthisicis, ab Italia in Alexandriã iter facere iussit, eò quod ad siccius cælum esset mutatio. Quantũ enim prosit in huiusmodi morbo, aerem siccũ inspirare, experimento docuit furnaria illa phthisica, quæ (vt practici nõnulli attestantur) 28. vixit annis, inspirato sæpè aere furni sicco. In reliquis duabus qualitatibus nempè in frigore, & calore aer, temperamentũ debet seruare. Nam qui immodicè frigidus est, instrumentis respirationis obest, & tussim excitat, ac pulmonis vlceribus mordax existit: impensè verò calidus febrem auget, & nimiam dissipationem molliendo corpus emaciat. Quæ sanè cũcta tanquam valdè nocentia phthisicus fugere debet. Cibi autẽ sint euchimi, coctu faciles,

tenues,

tenues, minimè crassi & minimè glutinosi. Nam licet propter corporis extenuationē maximè nutriens alimentū requiratur, tale autē necessario crassum sit & glutinosum, vt lib. de tabe. c. 9. docet Gale. quia tamen hoc difficulter in phthisicis cōcoquitur eo quod natiuus ipsorum calor imbecillus habetur: ideò in huiusmodi affectibus abdicatur. Nā (vt. 7. metho c. 6. scriptum reliquit Galen.) Si nutrimentum seipsum concoqueret & digereret & alēdis partibus assimilaret, & quibus plurimo alimēto esset opus adhæresceret, proculdubio maximè nutrientē cibum exposceremus. Verum quoniā nō est aliud, quod nutrimētum desiderat, aliud quod nutrimentum cōficit, sed idipsum quod nutriēdum est, id sibi nutrimentum attrahit, cōcoquit, transmutat, & assimilat, ad duo nimirū in opportuno cibo eligendo spectandū esse dictat. Vnum ipsius cibi naturā: alterum vires suas proprias insitasque. Itaq; ex his illud patet, nec planè quod maximè nutriat optimum esse ijs corporibus quæ refici magis egent, vtpote quibus cōcoquendi facilitas nō est. Nec etiā quod facillimum concoctu est, cum scilicet ipsum nequeat maximè esse nutriens. Cū igitur hæ indicationes ex aduerso pugnent, cōmittendum non est, vt dum alterius excessui nimiū sit intētus, alte-

rius omnino obliuiscaris: sed vtriusque memor quoad licet vtrumq; misceas. Quantũ tamen facultas concoquendi patitur, cibus sic boni & multi alimenti, vt corpus emaciatum instauret, sit etiam liquidus & tenuis vt vias phthisicorum obsiccitatem contractas, facilius subeat, & penetret. Sit etiam attractu facilis, vt docet Gale. lib. de tabe. cap. 9. Nam cum in marcoribus partes ipsæ nutritione egentes inualidæ sint, ac præ siccitate ad attrahendum infirmæ, oportet vt alimẽtum attractu facilè sit, vt quòd attrahentis corporis robori deest, id ex materiæ aptitudine suppleatur. Sit etiam modicè refrigerans ob febrem, & ob vlceris saniem detergens, & obsolutionem continui glutinans: quas sanè dotes lac obtinet. Quare in proposito affectu, eo nullum præstantius alimentum esse videtur: quod Galen. voluit lib. de tabe. cap. 9. cum inquit; Mihi porrò nihil ad hæc omnia lacte videtur esse melius, præcipuè quidem si quis muliebrem mammam ore apprehendens idipsum mulgere toleret. Quemadmodum sanè Euriphon & Herodotus in phthisicis præcipiunt. Hippocr. itidem aphorism. 64. sectionis. 5. optimum esse dixit lac tabidis dare, & ijs: qui non valde multum febricitant. Quod autem lac prædictas omnes dotes obtineat iam habemus

mus explicare, hinc exorsi: optimum optimi esse succi voluit Galen. lib. 3. de alimentorum facul. cap. 15. & lib. de bono & malo succo. c. 4. & 5. apho. sectio. com. 64. dicens optimum lac omnium ferè quæ mandimus, optimi esse succi, & bonos humores facere. Quod si aliquis contendat optimum lac bonum succum generare non posse, cum, quid habeat flatuosum: in commentario citati aphorismi respondet Galen. dicens in vniuersum bonum succum generare, quæcunq; post concoctionem ad bonum humorem transmutantur, hoc est ad sanguinem (nam hic humor est nobis amicus) in quē lac post concoctionem maximè conuertitur si probè ipsum concoquatur. Rursum cum liquidum sit & tenuè facilè coquitur, & à partibus nutritione egentibus facilè attrahitur & vias iā siccitate cōniuētes facilè penetrat, & propter butyrū & caseū multum nutrit, atq; ob frigiditatē, febris calorē remittit, & attēperat. Quod autē frigidū sit rationibus probat Gal. lib. 4. de simp. med. fac. c. 17. dicens, ꝙ cū ex tribus diuersis substātijs lac cō ponatur, prout mox videbimus, caseo, butyro & sero, atq; ex his butyrū quidē vel maxime temperatū sit, caseosa pars à temperamēto parū ad frigoris latus vergat, & pars serosa adhuc amplius ad idē latus declinet: se-

quitur vniuersum lac frigidũ reddi. Si nanq; illud ex tribus partibus cõstituitur, & harũ duę frigidę sunt, & vna tẽperata, totũ ipsum lac remanere frigidum omnibus est in comperto. Quod etiam exigua eius dulcedo ostendit, quam adeo habet imbecillam vt acidum potius quam amarũ ex mora fiat. Contra quam mel, quod dulcissimum cum sit, facile per se temporis diuturnitate amarescit potius quam acescit. Atq; his duabus rationibus, lactis frigiditatem probat Gale. Cuius sententiæ Manard. subscribit lib. 16. epist. 5. Sed quod lac detergendi & agglutinandi habeat facultatem perspicuum erit, si vniuersa eius compositio tibi innotescat, innotescet autem si sequentibus verbis animum adhibueris. Lac omne licet sensui sit similare & homogeneum, reuera tamen dissimilare est & ætereogeneum, vt Galen. docet lib. de bono & malo succo. c. 4. & lib. 4. de simplic. medic. facul. cap. 17. & lib. 10. eiusdem operis titulo proprio de lacte dicens, ex tribus substantijs dissimilium inter se partium ipsum constare: quarum vna serosa est & tenuis, altera crassa & caseosa, tertia verò pinguis atq; oleosa, quam butyrum vocamus. Serum abluentem & detergẽtem habet facultatem, prout voluit Galen. lib. 10. de simpli. medic. facul. titulo præcitato,

qua

qua in re aquæ dicit præstare. Nã licet aqua liquida sit & humida, non tamen sicuti serũ detergit, hac de causa & quia ipsum serum acrimoniæ cuiuspiam est particeps eius occasione lac omne detersoria & abluente facultate est præditum, simulq; aluum subducit: quemadmodum testatur Galen. lib. 3. de alimen. facul. c. 15. vbi, tãtum ei in hac facultate tribuit, vt illud omnibus ventrẽ soluentibus medicamentis præferat, sic dicens quãtum serũ ab alia lactis natura, ſucci bonitate superatur, tantum illud omnia alia quæ ventrem deijciunt superat. Hæc Galenus. Pars caseosa glutinat, ac butyrosa emplastrica est atque ob has duas partes lac redditur emplasticum & vlcerum conglutinatorium, & ventris constipatorium, quod experimẽto cõstat. Nam si per lapillos ignitos & ferreos orbiculos candentes, serum omne consumatur, lac ventrem constipabit, vt Gale. est autor lib. 3. de alimen. facult. c. 15. quod in alui profluuijs facere medici præcipiunt, & nos fieri videmus cum maxima ægrotantium vtilitate. Augentur vel minuuntur prędictæ lactis facultates, vel ob animaliũ species â quibus lac desumitur, vel ob temporũ diuersitatem, vel ob variam victus rationẽ. Quod autem pro animalium specie in prædictis lactis facultatibus discrimen vel maximum

ximum sit: sigillatim quodlibet illorum intuenti ac cum alio conferenti protinus apparebit. Manifestius autem fiet (vt ait Galen. 3. de alimen. facult. cap. 15.) si ex vnoquoq; lactis genere caseus paretur. Etenim liquidissimum lac, serum, crassissimũ caseũ habet plurimum. Cuius autem animalis lac tenuissimum sit, dubium est, quoniam Galenus secum etiam pugnare in hoc videtur. Siquidem lib. 6. de sanit. tuenda, inter omnia lactis genera asininum tenuissimum esse dicit, lib. vero. 3. de facul. alimentorum, camelinum, & equinum ei intenuitate præfert. Aristotelem sequutus lib. 3. de historia animalium cap. 20. Componit hanc controuersiam Manardus lib. 16. epistolarum. 5. dicens, nullatenus Galenum sibi ipsi obuersari: quia si eius in vtroque loco verba considerentur, nullo modo inuicem pugnare videbuntur. Nam sexto de tuenda valetudine lib. asininum maximè tenuium esse partium affirmat. In lib. verò. 3. de alimentis, camelinum asinino non intenuitate sed in humiditate præfert. Quod itidem confirmatur, nam libro quarto de victu acutorum commen. 109. asininum lac omni alio tenuius esse dixit. Quare nisi fateri voluerimus Aristotelem aliud quam Galenum censuisse: dicere oportebit (vt Manardus ait)

quod

quod in camelino pertenuissimum non intellexerit tenuissimarum partium, sed maximè humidarum. Est itaque lac asininum tenuissimum & omni alio tenuius. Sicuti bubulum & ouibum crassissimum: caprinum medium inter hæc obtinet locum, ac medium est inter tenuissimũ & crassissimum. Quare sequitur quod ait Galen. lib. de bono & malo succo cap. 4. in camelorum atq; asinorum lacte serosæ humiditates plurimum esse: caseosæ in ouilo: pinguis in bubulo: à quo nomen pinguis ipsa pars accepit, & butyrum appellatur, vt. 10. simpl. titulo de butyro à Galeno scribitur. Capræ lac pro reliquis animalium generibus intra excessum omnem, mediocriter se habet vt modo dicebamus. Sequi etiam ex his apparet, detergentis & colluentis facultatis in asinino & equino & camelino plurimum inesse; conglutinantis in ouilo: sicuti emplastricæ, & lenientis in bubulo. Caprinum verò licet in medio constituatur, astringentis tamen facultatis plurimum habet. Quamobrem in phthisicis summopere collaudatur ab Auicenna. 10. 3. tractatu quinto, capite vltimo, & à Rasis. 9. ad Almansorem, ad vlceris pulmonis conglutinationem: quia conglutinantem facultatem multam habet. Ratio

sumitur ex Dioscor. lib. 2. cap. 62. dicens ex eo caprinum lac minus alijs aluum tentare, quoniam pecus hoc adstringētibus pabulis, robore nimirum, lentisco, rubo, oleæ frondibus, & terebintho, magna ex parte vescitur. Vnde stomacho accommodatissimū & vlcerum conglutinatorium redditur. In omnibus his lactis differentijs, possumus singulas eius facultates augere, vel minuere, idonea victus ratione ipsius animalis, à quo sumitur lac, vt loco supra citato Auice. docet, dicens: oportet animalia ex quibus mulgetur lac, pascere plātas quarū operatio est necessaria, vt lactuca, portulaca, & cichoreo, nutritum animal refrigerans magis lac habet. Fæniculo, hyssopo, adiantho, hordeo, terget magis & emundat: rubi, lentisci, salicis, vitium folijs conglutinat & adstringit potentius, & omnino in omnibus propastionis natura, lactis facultas euariabit. Sic itaque illud ab Hippoc. dictum est. 6. epidem. parte. 5. aphor. 34. si mulier aut capra cucumerem syluestrem ederit, pueros purgari. Quam sententiam Gale. confirmat lib. 3. de alimen. facul. c. 15. in hunc scribens modum. Quin etiam si capræ aut alterius cuiuspiam animalis, scamonium aut thitimalum depasti lac cibi loco quis sumat, omnino aluus illi profluxura est. Et Diosc. lib. 2. c. 62.

capra-

caprarum lac hauſtum (dicebat) quibus can didum veratrum pabulo fuerit, nauſeā creare, & ſtomachum in vomitiones effundere: Omnino enim paſtionis facultas, in lac cedit & tranſit. Non paruam etiam in cuiuſlibet animalis lacte eſſe differentiam, pro anni & partus tempore Galen. ſcriptum reliquit capit. 15. libro. 3. de aliment. facult. Nam verè ait eſſe liquidiſsimum & copioſiſsimum: æſtate verò media ipſum etiam in medio ſuæ naturæ conſiſtere, & poſt id tempus ſenſim craſſeſcere, donec deficiat Itidem etiam poſt partum liquidiſsimū dicit eſſe. Temporis verò progreſſu, magis ſemper ac magis craſſeſcere. Magna tamen cura eſt impendenda in lacte pro phthiſicis, & hecticis eligendo & curioſè adminiſtrando. Nam ſi in aliquo iſtorum fuerit aberratum non leue incommodum æger perſentiſcet. Vt loco ſupra citato Auicēna docet, dicens & ille qui vtitur potu lactis oportet vt obſeruet reliquum regimen. Nam ſi errauerit in aliquo fortaſſe reducet ſuper eū malitiam. Non enim ſupra ſimpliciter diximus lac omne optimi eſſe ſucci: ſed prætcrea optimum adiunximus. Nam lac quidē quod vitioſum eſt, & non vt decet exhibetur: tantum abeſt vt ſuccum probū gignat: vt malo & vitioſo vtentiū corpora impleat.

Lactis

Lactis bonitas multis modis deprehēditur: prima ex animalis specie à quo lac desumitur: deinde ex alijs bonum ipsum lac consequentibus. Atque si animalis speciem spectemus, optimum & omni alio præstantius muliebre est, eo quòd nobis familiarius & similius. Hoc voluit Galen. lib. 5. method. cap. 12. quod itidem confirmat lib. 10. simplicium titulo de lacte dicens, maximè igitur mulieris bene habitæ & bonam victus rationem seruantis lacte vtendum. Nam id humano corpori est familiarissimum. Mulier bene habita & quæ etiam optimæ nutricis conditiones obtinet, erit sana, non morbosa, iuuenis aut florentis ætatis, latiori insuper pectore, corpore procero, atque quadrato, colore suaui & roseo, niuidoque, mediocribus mammis & minime rugosis, papilis nec conniuentibus, nec curuitate auersis. Ita censentibus Paulo libro. 1. cap. 2. & Ætio lib. 1. serm. 4. c. 4. Puerum vlnis gestet tres iam menses quatuorvè natum, adde, hæc manus, humerosq; molendo terendoq; exerceat. Vitet admodum siccantia, salsa, acria, acerba, acida, amara, & validè calfacientia. Item odores tum fœdi, tum suaues præter modum, & condimenta, aliaq; acria nocent. Fugiat etiam venerem, nec menstruet, nec vtero gerat, prout Galen. monet

lib.

lib. 1. de ſanitate tuenda cap. 9. vbi triplici de cauſa venerem ab ijs quæ lac prębent omnino arcendam eſſe ſcribit. Nam & menſes viri conſuetudine prouocantur: & lac odoris gratiam in deterius mutat, quin etiam aliquæ vtero concipiunt, quo nocentius puero adhuc lactenti nihil eſt: interim enim quidquid ſanguinis eſt optimum in fætum abſumitur, quippe is cum proprium in ſe vitæ principium contineat & huius moderamine agitur, & aſsiduè conueniens ſibi alimentum trahit, vtero ipſi veluti radici adhærēs, nec vſquā ab eo nocte dieuè diſcedēs: interim verò nō minor modò, verū etiā deterior rationabiliter redditur ipſius grauidæ ſanguis: quo fit vt lac ipſum tum peius, tum verò exiguū in māmillas colligatur. Quare ſi quæ infantem lactat vtero gerit, optima ratione Galen. magnoperè ſuadet aliā inueniendā eſſe nutricem. Probis etiā cibis lactās mulier veſcatur, quādoquidem cacochimia quæ ex prauis & deprauatis alimentis maximè originem trahit: non paruam ad vitioſi lactis generationē, vim habet. Quod demonſtrauit infans ille, cuius meminit Gal. lib. 3. de alimen. fac. c. 15. qui cum priori nutrice emortua, alterius praui ſucci lac ſuxiſſet, totum corpus multis vlceribus habuit refertū: eo quòd ſecunda hæc nutrix vſa fuiſſet in

agro syluestribus oleribus propter annonæ caritatem. Secundo loco post muliebre lac asinium est, eò quod tenuissimum cum sit, minimè coagulatur in ventriculo: & quoquo versum ocyssimè in corpus digeritur: eget horum vtriusque, vt. 7. metho. c. 6. scribit Galen. ille cui ventriculus laborat, & phthisicus & hecticus. Vtique nè glacietur communis commodi gratia: omnibus enim id est incommodum. Vt verò quoque versus digeratur, propterea & quod celeriter nutriri est opus: & quod viæ, per quas alimẽtum transit, iam conniuent. Adde etiã quod cum frigidum id sit, & serosius, febri opitulatur, & saniem ab vlcere magis detergit. Non minor cura est impendenda in exhibẽdis alimentis ipsi asinæ dicente, Gale. lib. 7. metho. c. 6. ad hoc vt probum lac fiat, idoneis nutrimentis alendũ animal esse: & exercitationibus mediocribus mouendum, & pullum si quem lactat auferendum. Quod autem ætatis maximè florentis esse debeat id neminem latere censet. Addit Auice. asinam illam esse eligendam quæ per quatuor quinqueve menses distat à partu. Curandũ itidem esse monet Galen. vt quam optimè concoquat, herba quæ animali non admodum sint humides fænumque & hordeum quod sit mediocræ obijciendo, & asinæ corpus

pus fricando, detergendo & emundando. Porro si humidiora & olentiora flatusq́ue plena excreuerit, planum profecto est, inquit ipse, non concoxisse probè, quare suadet aut detrahendum esse aliquid de alimento, aut exercitationi aliquid adijciendũ: sin duriora reddat animalis aluus ad contraria esse inspiciendum docet. Atq; illorum aliquid immutandum. Post muliebre & asininum, aliorũ animaliũ lacte esse vtendũ scribit Gal. lib. 10. de simpl. med. facul. quę quidē ab humana natura nō longissimè absunt, id quod ex carnium odore cognoscere docet, nam fastidiosum & iniucundum esse dicit, eorum quæ multũ diuersam habent temperiem: ceu canis, lupi, leonis, pardilis, vulpis, hyenæ, vrsi, & similium, non iniocundũ autem eorum, quæ nō porrò absunt, vt suis, caprę, equæ, bouis, ouis, asinæ. Quocirca homines experientia doctos, caprino, ouilo, bubulo, asininoq; lacte vti ait, caseos ex his conficiendo, excepto asinino propter eius tenuitatem, & humoris serosi abundantiam. Et suilo propterea quia crudum est & minimè confectum: propter quod nè in hominũ quidem vsus venit. Canino etiam lacte vtitur Manard. lib. 10. epist. 5. ad linguæ scissuras. Notis etiã quibusdã lactis bonitas, quo vsuri sumus cognosci potest, quemadmodũ

Galen. docet lib. 7. metho. cap. 6. dicens ipsum nullam extraneam qualitatem odore gustuvè præ se ferre oportere, sed debere esse quam dulcissimum & sibi ipsi continuum, & prout lacti conuenit splendens: & super omnia quoad eius fieri possit similes habens partes: &. 10. simplic. medicamentorum facul. titulo de lacte, lac dulcissimum velut etiam sanguis conuenire esse dicebat: & ad hæc purum, sincerum, & nec amaritudinis nec acrimoniæ, aut aciditatis aut salsedinis, aut fœtoris particeps, sed vt dixerit quispiam bono odore præditum, aut odoris expers, gustu suaue, substantia mediocre. Quæ sanè cuncta ab eodem Galen. scripta reperiuntur libro. 1. de sanitate tuenda. cap. 9. vbi de nutrice eligenda, & de lactis probitate verba facit. Addit Paulus libro. 1. cap. 3. & illud cõmendari quod in vnguem pollicis instillatum, eo inclinato ad lucem, nec subito nec tarde videtur defluere. Iam verò in hunc modum probari posse scribit, infuso lacti in vas vitreum coaguli exiguũ admiscetur: digitisq; agitatur: in quo postquam cõcreuerit, inspicietur num casei portio minor quam serum fuerit: hoc enim lac inutile est: contrarium huic concoctu contumax, probatissimum quod vtraq; habet mediocria. Nec omittenda est hoc loco mani-

festa

festa Galeni contradictio, siquidem. 7. metho. dixit bonum lac conuenire esse dulcissimum, decimo tamen simplicium pauculam debere habere dulcedinem, scripsit, sicuti & sanguis integræ sanitatis, ex quo lactis constat generatio. Cui respondendum est in lib. de medendi methodo eum lac considerare prout est alimentum quod dulcissimum esse conuenit: in lib. tamen de simpl. medicamentorum facultat. prout est medicamentum. Vtitur enim eo loco ipso ad abluendas acres & biliosas fluxiones, ad quod opus efficiendum non nimis dulce desideratur. Nã cum tunc corpus impurum sit, facile corrumpetur, si nimis dulce existeret, dicente Galeno lib. 1. de crisib. cap. 12. quidquid alimenti supra modum calfit (præsertim si pingue atque dulce fuerit,) verti in amaram bilem. Quod ad administrandi modum attinet principio animaduertere oportet, summopere studendum esse nè in vẽtriculo coaguletur, quod cũ contingit mirũ quantum hominem degrauet, atq; suffocet. Quemadmodum Galen. docet lib. de bono & malo succo. c. 4. dicẽs coagulato in vẽtriculo lacti id accidere, quod in concreto in grumos sanguine euenit. Etenim in vulnus sanguine defluẽte vel in vẽtrẽ, vel in intestinorũ aliquod ægri & exoluuntur & refrigescũt, pulsusq;

tum parui, tum mali euadunt. Quæ omnia coagulato in ventriculo lacti accidere scribis Galen. Prohibetur tamen eius coagulatio, primo si ex mãmilla ipsa desumatur, ita enim non temerè in ventriculo concrescet: quem sumptionis modũ summopere commendat Gal. lib. de tabe. c. 9. & lib. 7. meth. cap. 6. Verùm cum hoc vt Galen. ait, plurimis non placeat, melius est calens adhuc ex mãmillis id, in ægri ventriculum quã ocyssimè transferre. Sic vt quã minimo tempore in aere ambiente moram trahat. Propterea quòd (docente Galeno) celerrimè mutari est aptum. At expeditam rationem esse scribit Galen. lib. 5. metho. c. 12. & lib. 7. cap. 6. & lib. 10. c. 11. ad sympthoma hoc declinãdum, si mel illi admisceamus aut salis quo vescimur exiguum, vltra hoc ꝙ sal ad celerem eius in aluum descensum non parũ profit: vt idẽ docet Gal. 5. meth. c. citato docet. Verùm quia vt ipse ait. 10. metho. c. 11. mel omnibus hecticis febribus est inimicissimũ: quapropter illud in eis summoperè fugiendum esse monet, ideo tutius est vt loco mellis parum sacchari immittamus, quemadmodum præcepit Auice. 1. 4. tract. 3. c. 5. & 10. 3. tract. 5. cap. vlt. in phthisis curatione, & Rasius. 9. ad Almãsorem cap. de phthisi. Lac tamen quod magis melle aut sacchato

indiget

indiget rectificari, caprinũ est, dicente Gal. lib. de bono & malo ſucco. c. 4. minimè tutò ſumi caprarum lac abſq; melle, multis nãque qui ſolùm id ſumpſiſſent, in caſeum coactum fuiſſe in ventre, ſcribit. Cuius celeris coagulationis cauſa eſt ipſius ſtypticitas ad concretionem aptiſsima. Lac ſumptum ad vnguem confectum fuiſſe, ex ructibus licere conijcere, docet Gal. lib. 7. metho. cap. 6. quia ipſo corrupto aut non probè cõcocto, ructus aderunt vel nidorulenti, vel acidi. Nam cum corruptio alimentorum in ventriculo duplex ſit, vel ob calorem, vel ob frigus, vt Galen. eſt autor lib. 3. de cauſis ſimptho. cap. 1. ſi corruptio eſt ob calorem, ructus erunt nidorulenti, ſi verò ob frigiditatem, acorem referent. Quod Galen. etiam teſtatur. 5. aphor. ſectione, comment. 64. ſic ſcribens, ſic autem & lac ſi non benè concoquatur, in quibuſdam aceſcit, in quibuſdam autem nidorem concipit: in ventriculo quidem frigidiori aceſcit, in calidiori verò nidorulentum euadit. Cognoſcitur etiam ipſum in ventriculo corruptum fuiſſe, aut non benè confectum, arteriæ motibus prout docet Galen. lib. 10. metho. cap. 11. contemplantibus diligenter nobis, ac conferentibus pulſus qui ab aſſumpto lacte fiunt: cum eis qui ante ſumptum fuerunt. Si enim corru-

ptum fuit; eiusmodi pulsus apparere dicit: cuiusmodi in oris ventriculi, afflictionibus accidunt. Tales autem eiusdem Galeni testimonio lib. 1. de differentijs febrium cap. 9. parui sunt & inæquales, quo loco hæc scribit verba; Sæpe enim in ipso ore ventriculi collecto quodam prauo humore, ac mordaci, vel frigido, paruus simul inæqualisque existit pulsus. Verùm vbi frigidus humor sit, paruitas, vbi mordax, inæqualitas ipsa exuperat. Sed vomentibus hæc ambo statim desistunt. Si autem corruptum in ventriculo lac non sit, & maiores & valentiores (vt Galen. ait) redditos pulsus inueniemus. Itaque si ab assumpto lacte nullum in ventriculo pondus sentiatur, vel aliqua huiusmodi grauitas, vel si sentiatur: quam citissimè esse desinat, nullusq; ructus adsit, pulsusque sint fortiores, & valentiores, ægrum lac probè concoxisse coniectandũ est. Quo circa si modicum assumpsit, licebit tunc po stea illius quantitatem adaugere. Cæterum vt lac quod bibendum est, prosit, præter ea quæ dicta sunt, à cibis etiam omnibus & vino postquam assumptum fuerit est abstinendum, quousque à ventriculo secesserit, minimeque exercitio vtendum est, & *Lib. 1. ser. 2. cap. 39.* Ætij sententia, ne dormiendum, saltem per duas ab haustu horas, ne illud vt Siluius

ait æger corrumpat. At quoniam lac dentes inficit (& si Dioscorides de asinino contrarium scripserit dicens lib. 2 .cap.62.peculiariter hoc collutos dentes, gingiuasq; stabilire)eo statim ebibito,conueniet vino aut hydromellite os abluere. Lac quale dictum est optimum,cerebrũ auget, corpus impinguat,siccam & asperã tussim lenit,vrinæ ardoribus subuenit, extenuata corpora reficit,atq; instaurat, probi multiq; est alimenti,bonam facit aluum,facilè in sanguinẽ vertitur,carnem auget,pectus dilatat,& corpora crassiora efficit. Vsus etiam in officinis est lactis ad nonnullorum medicamentorũ præparationẽ. Primo ad eam infusionis speciem moliendã, quam nutritionem pharmacopæi vocant,ꝙ medicamẽta per ipsam augeãtur, ac velut reficiãtur. Quomodo sarcocola alba magnis glebis cõstas, lacte asinino à Mesue, sed præstãtius muliebri nutritur: paucũ tamen eius est immittendũ,nã multo lacte operta Syluio, liquescit, & lac ipsum priusquã sarcocola siccetur acescit.Paucum igitur ex mãmis ipsis irrigandũ:irrigatumq; medicamentũ confestim sole siccatur, iterũ & tertio &.4.&.5. similiter irroratur & siccatur : ac tandem reponitur. Verùm de sarcocolæ præparatione,plura diximus lib.de purgãdi ratione: vbi serapionẽ reprehendimus

Lib. curationis, morborũ internorũ ca. de phthisi.

mus nō quòd dixerit oleo nucum, vel amygdalarum dulcium corrigi eius malitiā posse: sed q arbitratus fuerit huiusmodi præparationem ad frigiditatem eius abigendā fieri, cum apud omnes constet sarcocolam calidam esse, non frigidā. Porro esulæ vis perniciosa lacte sæpius mutato, Arabum autoritate, castigatur. Quod autem lac in hunc vsum sumi debeat, & quot vicibus sit mutādum in prædicto de purgandi ratione opere latius scripsimus: quare non est cur in his explicandis tempus conteramus. Rursus turbith lacte recens mulso infusum & siccatum autore Mesue ventrem turbare desinit. Semen item carui calfactum lacte caprino horas duas, quidam, Syluio referente, nutriunt: in vase mundo exemptum siccatumque reponunt ad alui fluorem.

CAPVT XX.

De lactis sero.

SERVM quod lactis aquosa est substātia, teste Galen. lib. 10. simpl. extergendi potestatem possidet. Sumitur ad vētrem subducendum, iniiciturq; per clysteres, eò quòd extergit & abluit, sine mordacitate intestinorum acrimoniam. Præterea si quis vlcera quæ sanie acri infestantur, vice aquæ

aquæ, sero colluat, optimè sanè fecerit. Exhibetur ab eodem Gal. lib. 14. method. cap. 9. in cācri curatione, cū epithymi drachmis quatuor: ad expurgandum humorē melancholicum. Prætulit Mesues serum quod ex nigrarum caprarum lacte elicitur, deinde quod ex ouilo. Nec simpliciter dixit caprarum nigrarum, sed sermoni adiecit earumdemq; bonis pabulis nutritarum, recens fætatum, illudq; recens, iucundi odoris, & saporis, non corruptum. Ætius in curatione melancholiæ, serum equinum reliquis præfert, aut si nō possit haberi bubulum, sed nō de caseis dandum censet, præstat enim eius sententia, quod à lacte per cocturam separatur, lacte ipso in nouam ollam misso, & fici ramulo agitato. Quem separandi serum à lacte modū tradidit Dioscor. lib. 2. cap. de lacte, addens ficulneū ramum recentem, & inspersis, postquam lac ipsum bis aut ter efferbuerit totidem aceti mulsi cyathis, quot sint heminæ lactis. Ætius acetum hoc siluit, eo ꝙ melancholicis, de quibus illic agit infestū est. Nam etsi serum, quod pro antidoto hamec cōficienda, oximelite paretur ob id certè est, vt illud â corruptione præseruetur. Cum enim dies quinq; simplicia eā antidotum cōponentia sero macerare Mesues præcipiat, facilè vt opinatur Matthiolus corrū

Lib. 2. ser. 2. cap. 10.

Lib. 5. epistola.

peretur, aut acesceret, nisi id oxymelite à lacte secretum foret, quod fit aceti occasione, sed & maximè mellis. Quòd huius proprium sit, quæ illi admiscentur seruare incorrupta. Nec tamen ob id melancholicis (quibus electarium illud opitulatur) est nociturum: quia cum semel tantum simplicia in eo macerentur, & antidotus ipsa vnica solum vice ægroto præbeatur, exiguum, aut nihil aceti causa nocere poterit, plurimum verò serum, quod Ætius melancholicis exhibet si oxymelite paratum esset, quia id multis vicibus pluribusque diebus eo casu propinatur. Verùm ait Dioscorid. pro qualibet lactis hemina cyathum vnum aceti mulsi esse inspergendum. Antonius Musa minorem quantitatem hac, quæ à Dioscoride affertur sufficere arbitratur, sic vt in singula lactis libra, oxymelitis semiunciam satisfit. Nostri pharmacopæi sæpè id experti contendunt, ne vnam quidem oxymelitis vnciam pro coagulāda vna lactis libra esse abundè. Ergo tamen dico diuersas res esse acetum mulsum & oxymeli, vt ex Galeno constat libr. tertio, de alimentorum faculta. capit. 16. vbi de oxigalate, hoc est, acido lacte verba faciens sic ait. Etenim vel citra coagulum scissio, quam vocant, id efficit cum lacti abundè calido oxy mel

Libr. 4. de ratione victus ĩ morbis acutis. cõment. 7.

mel frigidum instillamus. Idem etiam mulso efficimus. Quibus verbis clarè innuit differre oxymel ab aceto mulso quoniam oxymel simul cum aceto & melle aquam suscipit, acetum verò mulsum aquam nequaquam habet, sed acetum sincerum vnà cum melle. Quare verisimile est huius minorem copiam sat fore, oxymelis verò nõ nisi maiorem: præsertim cum oxymel, quod ad lactis scissionem vsurpatur non sit ad spissitudinem mellis coctum: sed largum, quod vocant & fluentius. Quare aceti mulsi quantitas, quæ ad lac coagulandum sufficit, oxymelitis, & præsertim huius largi sufficere non poterit. Perperam igitur meo iudicio Musa acetum mulsum, de quo Dioscorides loquitur cum oxymelite confundit, innuens ambo hæc idem esse, cum tamen res sint diuersæ. Superest, disseramus num lactis commotio quæ ramulo ficulneo fit sine alterius rei adminiculo ad lactis coagulationem sufficere queat. Quia Ætius huius solius mentionem fecit, quam certè alterius esset facturus si ramulum hũc insufficientem esse putaret. Sed quòd sat sit ex alijs autoribus comprobari facilè potest. Siquidem Constantinus Cæsar, lib. 18. de agricultura, sic inquit, lac ad ignem si tepefiat, & fici ramulo moueatur coagulatur.

Porro

Porro ramusculũ hũc vim quandam habere lac coagulandi testatur etiã Columella lib. 7. de re rustica cap. 8. aitque & coagulare & iucundissimũ reddere gustui caseum. Sit autem ramulus iste recens, vt fici lactis aliquid reseruet in quo coagulandi vis præcipuè inest. Nec dici debet genus hoc seri caliditatẽ aliquam ab illo cõtrahere, eo ꝙ ramusculus hic calidus sit: quia cum eo tantum lac moueatur, & in frustula non cædatur illi, aut caseo caliditatẽ aliquam, quæ sensui perceptibilis sit, indere nõ poterit. Columella loco precitato lac itidẽ coagulat & serum separat semine cnici & agrestis cardui flore. Apud nos etiam flore satiui cardui (huius inquam quo vestimur) coagulatur, & caseũ hoc pacto coactum herbæ nominant, qui cæteris præstantior iudicatur. Idem & Gallio confi- *Libr. 4. capit. 81.* citur, quod vt autor est Dioscorides nomen ex eo traxit quoniam in contrahendo lacte coaguli vicem impleat. Haliabbas libr. 10. practicæ cap. 3. idipsum squingibin molitur, addito captarum lactis libris quasi duabus, illius libræ tertia parte, hoc est vnciis quatuor. Est autẽ squingibin eius sententia infra in eod. libr. cap. 20. Syrupus cõpositus ex succi citoniorum & sacchari anna parte vna, aceti partis vnius parte quarta. Quod si cum coagulo huiusmodi lactis sequestratio

nem

nem facere velimus, eiusdem Halyabbatis testimonio oportebit cũ lac decoxeris coaguli. drach. sem. simul dissoluere. Cui⁹ autẽ animalis coagulũ esse debeat, explicuit Columella loco præcitato, dicens, lac plerũq; cogi, agni aut hædi coagulo. Seri itaq; parandi modus multiplex habetur, communis tamen & magis vulgaris dupliciter fit, coagulo nempè & oxymelite. Vtriusq; meminit Galen. lib. 3. de aliment. facul. cap. 16. Parati per oxymel speciatim mentionẽ fecit libr. 4. de victu acuto. cõm. 7. sicuti ei⁹ quod per coagulum conficitur, verba fecit ipse libr. 3. de alimen. facul. cap. 17. quo loco de caseo sermonẽ instituens ait, illum dum paratur assumere ab iniecto coagulo acrimoniã, humiditatemq; omnem deponere. Qua ratione in febribus ardentibus huiusmodi serum vsurpari nõ debet, quia febribus hiscè acria omnia nocumẽto sunt, sed eius qui oxymelite separatur. Quoniã autore Galeno oxymel solum nec febres accendit & strenuè detergit. Quem vsum in parando sero pro iam dictis febrib⁹ syrupus acetosus strenuè præstare poterit, eo ꝙ oxymelite frigidior est. Alium separandi serum à caseo modum docuit Galen. lib. 3. de alimẽt. facul. cap. 16. & lib. 4. de victu acut. cõm. 7. qui fit vase æneo frigida aqua pleno cõtinẽter in lac demisso; nam

Lib. 8. me tho. ca. 4.

nam inquit & hanc si probè fiat demissionem serum à caseo separare. Non dicit an hoc fieri debeat quando lac ebullit, vel etiā si non ebulliat, sed intelligere oportet ipso ebulliente faciēdum id esse: nec debet semel imponi, sed bis & ter quoad separatio appareré videatur, qui separandi modus pro iam dictis febribus optimus est, quia per illum non potest serum qualitatem aliquam sibi asciscere: quæ eis obesse queat. Meminit huius rei Dioscorides dicens, sextariumque argenteum (hoc est vas argenteū vnius sextarij capax) frigidæ aquæ plenum dimittere. Verum hoc non ad lactis sequestrationem facit Dioscorides, sed ne id superfundatur cum feruet, in quem etiam vsum conuenire scribit spongia ex frigida continuo fictilis labrum detergere. Sed de seri separandi modis satis dictum est, quare interest ad alia perueniamus. Ait Mesues serum optimum lactis esse caprarum recens fœtarum. Quod omni animali à quo lac desumitur peculiare esse arbitror: tale nanque non longè à partu secedere debet, sed nec admodum illi propè sit oportet. Nam eius animalis lac quod à partu plurimum recessit, Haliabbatis testimonio nimis crassum est, & parum seri obtinet: quemadmodum illius,
Libr. 10. pract. c. 3. quod partui propinquat, crudum existit,

& inconfectum, ac quodammodo veneno participans. Quanta autem à partu distantia esse debeat, idem explicauit Haliabbas libr. quinto theoricæ capit. 26. dicens quadraginta diebus ad minus à tempore quo peperit recedere oportere. Ex lacte ebutyrato, seu à quo est extractum pingue innatans, secretum, Mesuæ testimonio, vsui est cum lubricitatis causam ex partibus excretorijs auferre volumus, ex lacte non ebutyrato quando partes eas lenire magis, & lubricare studium est. Attenuat serum omne, abluit, abstergit, & nitrosa, qua præditum est facultate aluum absque aliqua mordacitate leniter subducit, bilem tum flauam, tum atram, ab exustis humoribus genitam deijcit; quo fit, vt mirificè conferat maniacis, & melancholicis, præstat item ad viscerum infartus, & morbis inde prouenientibus opitulatur. Datur vtiliter febrientibus ex bile, & in viscerum & vasorum obstructionibus. Cōpetit etiam vitijs in cute à bile & perustis humoribus emergentibus, quare licheni nibus, vitiliginibus, alphis, psoræ, lepræ, auxiliatur. Serum Galeno lib. 4. de simplici. capit. 17. frigidum & humidum esse dicit. Mesues excalfacere primo gradu completo, & vsque ad secundum pronuntiauit.

Veritas

Veritas tamen est ipsum frigidæ & humidę esse temperaturæ, si nanq; absolutè calidũ esset, lac etiã ipsum calidum euistere seque retur, quod falsum esse nemo est qui ambigat. Nam sic non cõueniret hectica febre laborantibus. Sed quod sequatur patet. Nam cum illud ex tribus diuersis partibus cõponatur, atq; ex eis butyrum quidem temperatum censeatur, caseosa pars à temperamẽto parum ad frigoris latus vergat, si serum calidum esset vniuersa lactis natura calida potius quam frigida redderetur. Cuius contrarium, vt Manardus ait lib. 16, epist. 5. & tota sentit medicorum schola & cõmunis idiotarum tenet opinio ab vsu ipso edocta. Rursus si serum calidum esset, quo serosius lac existeret, eo esset calidius, quod minimè verum est. Quia asininum maximè serosum cum sit multum frigidum esse putatur, alioqui præ cæteris in hectica febre non eligeretur: quarę concluditur serum simpliciter frigidum esse, non calidum, vt pleriq; sunt arbitrati licet vnà calorem aliquem obtineat, vt acetum. Verum hoc nõ ignorauit Galen. Nam lib. 3. de alim. facul. ipsum alicuius caloris particeps esse scripsit. Est igitur serum à prędominio frigidum, quemadmodum & ipsum lac. At obijcient: lac per coctionẽ ex sanguine fieri, quare calidum non frigidum

esse

esse debet; siquidem coctio omnis à calore fit & ea quæ concoquũtur cum à calore elaborentur calida per coctionẽ euadent. Rursus præcipuus lactis vsus est, vt infantem alat, cuius temperamẽtum calidum cum sit, est custodiendum atq; seruandũ, seruari autem non posset si ipsum frigidum esset cum conseruatio debeat fieri per similia, demolitio autem per contraria. Quibus obiectionibus ita respondendum censeo: primæ, dicendo, ea quæ concoquuntur similia cõcoquenti reddi, quare lac cum à carne mammarum concoquatur, & alterationem suscipiat, frigidum erit non calidum. Nam licet coctio hæc à calore fiat, hic tamen exigus admodum est & minor multo quam sit iecoris, & sanguinis ipsius calor. Quare sanguis per coctionem quæ fit in mammis à minori calore remittetur & frigidior efficietur. Quẽadmodum bilis quæ flaua admodum est acris & malè olens, cocta tepentior, & multo minus quam antea calida redditur, refrigerato vtiq; per coctionem immodico eius calore. Atque ita quidem obiectioni primæ satisfactum arbitror. Alteri dicendum lac modicè frigidum esse oportere, & nequaquam debere esse calidum, quoniã si cum larga illa humiditate quam habet calor coniungeretur, caput assiduè halitu repleret. Vnde infan-

tes perpetuò grauedine & capitis grauitate alijsq; multis vitijs laborarent. Porrò si lac calidum esset: aut calor suppar esset humiditati, aut superior, si primum facilè putresceret: quandoquidem putredo fit à calore & humiditate, calore victo & humiditate vincente: si secundum calfaceret & humectaret immodicè totum corpus. Atq; vtile non est huiusmodi pueros supra quam par est, calidos humidosq; fieri, quippè eò iam caloris humorisq; peruenerũt, vt si paulum vtramuis qualitatem inauxeris, iam modũ excesserint, nam hæc simul cum priori, causæ sunt autore Galeno 1. de sanitate tuenda capit. vndecimo. cur vinum pueris interdicatur. Nec ob hoc ab vsu lactis infantis corpus refrigerabitur, aut eius temperies subuerteretur. Quia lac ex se adeò facilè est alterabile, vt promptè à moderato quouis calore eius frigiditas depellatur, illudque in bonum sanguinem commutetur. Esse verò lac facilè alterabile, ex eo fit manifestum quoniam in ventriculo frigidiori illico acescit, & in calidiori in nidorem vertitur. Sed ad pensum reddeuntes. Seri dosis est ab vnciis sex, vsque ad libram vnam. Inter ea quæ atram bilem modicè purgant, præcipuum esse serum, in quo senna, polypodiũ, & epithymum, cum

exigua

exigua gariophilorum portione per integram noctem maduerint, tenet Manardus libro 16. epistolarum, epistola quinta. aitq; seri debere esse libram vnam, senæ semiunciam, epithymi drachmam, polypodij drachmas binas, gariophilorũ obolum. Cuius potionis vsum, tertio quoque die esse debere protulit.

CAPVT XXI.

De ponderibus & mensuris.

DE ponderibus & mensuris deinceps verba facturi, primum de asse & partibus eius, nonnihil dicemus. Nam de his Budæus integrum scripsit librum. As pondus, & mina idem significabant apud antiquos, dicebanturque de qualibet re integra: asis duodecim erant partes. Verbi gratia, vncia, quæ erat duodecima asis pars: sextans, vel sextula, asis erat pars sexta, hoc est vnciæ binæ: quadrans, quarta asis pars existit, hoc est, tres vnciæ: triens, tertia asis pars est, videlicet, vnciæ quatuor. Est deinde quincunx, id est, quinq; asis partes, hoc est vnciæ quinque: est & semis, quæ est asis dimidium seu sex vnciæ. Septunx continet asis septem

partes: sicuti bes, besſis, octo, hoc est vnciæ octo: dodrans sunt nouem partes aſsis, seu vnciæ nouem Dextans, decem aſsis partes continet, sicuti deunx deuncis, continet vndecim: deinde erat as, id est pondus omnes hasce partes comprehendens. Erant etiam liquidorum mensuræ, videlicet Amphora, Vrna, Cōgius, Sextarius, Cyathus. Amphoram peritiſsimi quiq; Italicam mensurā esse volunt, pedis quadrati octo & quadraginta sextariorum capacem, hanc eandem quadrā tal antiqui vocabant. Amphoræ dimidium vrna est: quæ, vt tradidit Columella lib. 12. cap. 20. quatuor & viginti sextarios continet. Vnde constat Amphoram vrnas duas in totum complecti, vt sit amphora duplex vrna. Hispanè *corresponde a dos cantaras*. Vrna *a vna cantara*. Congius est quarta pars vrnæ, Hispanè *dos açumbres*, quia vrna continet *ocho açumbres*. Mirum tamē est quod Galen. in fine libri primi de facul. naturalibus scribit nonnullos vino prolixè indulgētes tres interim, quatuor vè excremēti cōgios mingere: sed multo magis admirari debet id quod Budæus lib. 5. de asse ex mente Theodori, in libris de certaminibus Græciæ refert, ꝙ Milocrotonita minas viginti carniū, & totidem panis esitabat, & tres vini congios bibebat, & ꝙ Alexander vno haustu duos

Milocrotonita.

duos cõgios biberet. Sextariꝰ ſexta eſt pars congij vncias 16. cõtinens. Cyathus eſt 12ª. pars ſextarij, cõtinet vnciā vnā & ſemiſſem nondum completam, hoc eſt vnciā vnam, & aliquid plus. Pondera quibus medici hodie vtuntur ſunt libra, vncia, drachma, ſcrupulus, granum, libra 12. continet vncias, vt mox videbimus. Vncia octo continet drachmas, licet ſecundum Arabes, nouem comprehēdat, Drachma cõtinet ſcrupulos tres, cuius hæc eſt nota. ʒ. ſcrupulus cõtinet grana 20. Ex quibus liquet quamlibet drachmam ſexaginta grana in ſe comprehendere. Sunt & aliæ menſuræ quibus noſtrates medici vtuntur, quarta, manipulus, & pugillus. Quarta, eſt vnciæ quarta pars, hoc eſt duplex drachma ſecundum Græcos, ſecundum verò Arabes, qui vnciam nouem drachmarum faciunt, eſt drachma duplex & grana 15. eius hæc eſt nota. 4. Manipulus Hiſpanè *manojo*, notatur hoc ſigno, m̃. Pugillus, qui Hiſpanè, *puño* dicitur, hoc iſto, p. ſicuti & granum ſic, g. ſic grā. Herbæ diſpenſantur manipulis, flores pugillis: radices granis, ſcrupulis, drachmis, vncijs, libris, atque interdum pugillis, liquores, & pulueres eodem modo quo & radices, non tamen pugillis. Fructus diſpenſantur numeris, j. ij. iij. iiij. V. & cæteris. Non perpe-

tuum est id quod aliqui dicunt, ea quæ tertio ordine calfaciunt, vel refrigerant, drachmis dispensari, sicuti quæ quarto, granis. Nam eleborus tertio ordine calfacit, & granis dispensatur: & piper longum, & nigrũ, gariophilus, nasturtiũ, & id genus alia, quarto ordine calfaciunt & drachmis dispẽsantur. Sunt & aliæ notæ ponderum apud Celsum videlicet p.*. vel x. quæ à Manardo declarantur 18. epistolarum, epistola quarta. Nam eo autore per p. pondus intelligit: per x. vel *. denarium, septimam, scilicet (vt ipse Celsus libro quinto, cap. decimoseptimo. semetipsum declarat) vnciæ partem. Per reliquas partes denariorum numerus est accipiendus, quæ exemplis perspicua reddi possunt: in primo malagmate libr. quinti. vbi legitur æruginis rasæ, thuris, singulorum. p. ij.*. squamæ æris ceræ singulorum. p. VIII.*. Nam intelligendum est, accipiẽdos singulorum, æruginis, scilicet, & thuris binos denarios ceræ, & squamæ æris 8. Verũ horũ ponderum declarationem, multo ante Manardũ animaduertit Leonardus Porcius lib. de ponderibus & mensuris in fine. Fallitur tamen Manardus in eadem epistola dum arbitratur per. p. non semper simpliciter pondus esse accipiendum: sed interdum pondo, hoc

est li-

est libram. Quod probat moschi malagmate, vbi ait ita scribi. p. ij. per quos duas libras intelligit. Nam illic in eo, scilicet malagmate, in antiquioribus exemplaribus, quos fortasse solos vidit Manardus, deerat nota denarij. In nouis verò, quibus hodie vniuersa Europa abundat eadem denarij nota habetur, legiturq; picis aridæ p. ij. *. Vtuntur etiam nostrates medici alijs duabus notis videlicet semiss. & añ. per primam alicuius ponderis medietatem significant: per secundã vtriusque vel singulorum exprimunt. Verbi gratia. Recipe, thuris & æris squamæ añ. ʒ. semiss. idem est atque vtriusq; dimidiam drachmam. Verum quia semel in hanc tractationem descendimus, vt nihil ei deficiat operæpretium est prædicta pondera, atque alia quam plurima quibus antiquitas vtebatur, fusius, atque explicatius enodare. Libra Romana 12. vncias cõtinet, hæc in officinis in vsu est, tam in liquidis, quam in aridis., Græcè λίτρα dicitur, signabaturque λ. subscripto ι. vel λ. & linea obliqua eam secante; Hispani autem libra Athica, siue Ægyptia pro libra vtuntur: quæ vncias 16. amplectitur. Libra enim tam in põdere quã in mẽsura, in vsu apud Romanos erat, vt ex Galeno liquet lib. 1. de cõposi. med. per genere c. 13. initio, aitq; librã solidorũ corporũ

 pon-

ponderalem dici, liquidorum vero mensuralem, quæ teste Galeno copiosissima in tota vrbe Romana ex materia cornea constabat. Græcis verò libra ponderalis σταθμός, dicitur sicuti & mensuralis λίτρα, & libr. 6. eiusdem tractationis cap. 8. parum post initium illos errare dicit qui nullum discrimen faciunt, inter libram ponderalem ac mensuralem: cum olei libra, mensura & pondere maximè differat, eius eo loco hæc sunt verba. Ego sanè olei libram Romæ vocatam, quam per cornua incisuris distinctã metiuntur, quandoque ponderaui discere cupiens quantum grauitatis pondus contineret inueni xij. olei mensurales. x. vncijs ponderũ æquales. Et subdit quare medicos in libris de medicamẽtis accuratius scribere oportebat, quales videlicet vncias, vel libras medicamentorum liquidorum immitti vellent, mensurales nè an ponderales: perspicuum enim est liquidorum horum corporum, sicut etiam solidorum alia grauiora, alia leuiora esse. Hæc Galenus. Nostrarum verò officinarum mensurales vnciæ: sicuti & libræ, maximè euariant. Nam vncia qua metiuntur syrupi illa minor est qua metiuntur aquæ, sicuti aquarum vncia oleorum vncia minor existit: sic vt oleorum vncia, vncia aquarum capacior habeatur, atque hæc vncia

cia syruporum: omnes tamen hæ tres vnciæ pondere sunt eædem & nihil euariantes. Illud est etiam considerandum libram, tam mensuralem, quam ponderalem, in duodecim vncias diuidi apud Romanos: Galeno teste libr. 3. de composit. medicamentorum per genera. capit. 3. in medio. quo loco hæc scribit verba: Porrò mensura quidem apud ipsos est (de Romanis loquens) qua oleum metiuntur, secta discretaque lineis totam in duodecim partes diuidentibus: atque integra mensura ab eis libra nominatur. Duodecima verò eius portio vncia. Vnde Georgius agricola lib. 1. de ponderibus & mensuris, illos medicamentarios dānat, qui libram sexdecim vnciarum cōstituunt: cum Arabū & Græcorū medicamenta cōficiūt. Ex quibus, quod docuimus constat duplicem esse libram apud Romanos pōderalem, ac mensuralem: atque vtraq; Galenum esse vsum, patet lib. 1. de cōpo. medi. per gene. cap. 13. in cōpositione albi emplastri accipientē argenti spumæ, cerusæ, vtriusq; pondo librā, & olei duarum librarum mensurā: quo loco apud Galenum pondo pro pondere positū est. Meminit tamen libræ Gale. 16. vnciarū lib. 6. epid. Sect. 3. cōm. 29. dum ait selibrā, hoc est, semilibtā esse vncias octo. Apud Romanos. Vncia 12. libræ pars est, vt Gale. tra

didit lib. 3. de compo. medi. per gene. cap. 3. in medio, quæ mēsuralis ac pōderalis æquè ac libra erat: quod primo de cōpo. med. per gene. ca. 13. his verbis Galen. ostendit. Ponderales quidem (de vncijs loquitur) corporum grauitatem decernūt: mensurales verò molem. Pro quibus mensurandis cornibus signatis extrinsecus lineis quibusdam orbicularibus Romanos fuisse vsos, lib. 5. de cōposi. medicamen. per gene. cap. 6. idem Galen. cōmemorat. ¶ Quamlibet vnciam octo constare drachmis lib. 6. de compo. medica mentorum secūdum locos cap. 1. titul. Stomaticum ex malis punicis Andromachi in ne his verbis testatur Galen. Octo enim drachmæ vnciam efficiunt: quod cōfirmat lib. 8. eiusdem tractationis capit. 3. parum ante finem, & lib. 1. de compo. medic. secundum gene. capit. 8. in fine etiam, cum tres vnciæ 24. drachmas constituere dixit. ¶ Drachma scrupulos tres continet vt supra fuit visum: continet etiam obolos sex, vt ex Galeno colligitur, libr. 6. de compo. med. secundum locos cap. 1. iuxta finem, titulo aliud stomatichum eiusdem Andromachi ad omnia vitia oris, dicente dimidiū drachmæ tres obolos comprehendere. Ex quo infertur obolum dimidium esse scrupulum, hoc est grana. x. (licet Georgius Agricola 12. grano-
rum

rum obolum ipſum fecerit, lib. 5. de ponderibus & menſuris). Manifeſtum etiam eſt id quod Galen. drachmam dicit Romanos denarium appellare, vt 8. lib. de compo. medi. ſecundum locos cap. 3. iuxta finem conceptis verbis expreſsit Galenus: licet apud Celſum non ſit niſi ſeptima vnciæ pars, vt ex eo lib. 5. cap. 17. fit manifeſtũ. Drachma ſignatur à Græcis. Α. tranſuerſo cornibus in dextram inclinatis & angulo in ſiniſtram in hunc modum Α<, cum veró è conuerſo ſic. Α > drachma dimidia notatur.

Heminam ex Græco ἥμισυ, quod eſt dimidium ductam eſſe, Feſtus Pompeius eſt autor, quod ſit ſextarij dimidia pars. Hanc eandem eſſe cum cotila innuit Galenus libro ſexto, de compoſitione medicamentorum ſecundum genera. capit. octauo initio. Heminarum permagna differentia exiſtit. Nam aliqui ipſam nouem vnciarum ponunt alij xij. non defuerunt etiam qui ipſam 16. vnciarum fecerint, quemadmodum docet Galenus libro ſexto, de compoſitione medicamentorum per genera. capit. octauo, & libr. 4. eiuſdem commentationis capit. 14. in initio, atqui ſecundum illorum ſententiam qui heminam 12. vnciarum faciunt, loquens Galen. 4. lib. de ſanit. tuen. capit. 8. heminam libram nominari protulit.

Romana tamen hemina 9. vnciarum est capax, teste Galeno lib. 1. de compo. medica. per gene. cap. 15. initio, quod confirmat capit. 11. eiusdem libri: statim in ipso frōtispicio istis verbis. Hemina valet 9. vncijs Romanis, quæ in libris corneis consuetis descriptæ sunt. Quod si hemina dimidium est sextarij: si sextarius continet vncias 16. hemina octo tantum continebit vncias. Iudicio meo taxandi sunt illi qui putant heminam à cotila differre, cū vna res sint, nec nisi nomine differāt. vt supra fuit visum, & 12. episto. epistola prima ꝓbabat Manardus: quā quàm maiorem taxationem mereātur, dum censent heminam latinam esse vocem, dicente Festo Pompeio heminam ex Græco ἥμισυ, quod est dimidium ductam esse videlicet quod sit sextarij dimidia pars.

Quartarius vncias quatuor colligit, est enim quarta sextarij pars, inde nomen. Scrupulus ab scrupo venit: est lapillus brevis. Hispanè, *la china*, inde scrupulus *la chinilla*. Vnde scrupulus genus est ponderis scriptulum aliqui vocant: duos obolos pendens, siue 6. siliquas, aut 24. grana tritici, vt patet apud Georgium Agricolam, lib. 5. de ponderibus & mensuris. Nostrū tamen scrupulum 20. grana pendet, vt supra vidimus. Obolus est dimidium scrupuli, vt cum agebamus

bamus de drachma visum est. Amplectitur etiam testimonio Plinij lib.21.cap. 34. chalcos. x. seu duodecim grana tritici, ex Georgio agricola lib. 5. de ponderibus & mensuris, signatur à Græcis 5. transuerso in hunc modum. ∽. ¶Acetabulũ est dimidiũ quartarij, hoc est 8. pars sextarij & cotilæ, seu heminæ 4. autore Plinio lib.21.cap.34. continet vncias binas, secundũ vero Manardum in fine epistolæ primæ libr. 12. duas & semissem denominatur ab aceto, & sic oxibaphum Græcis, erat genus vasis quo acetum portabatur. Hispanè, *vinagrera*, indeque ad mensuram transit. Quam linguam Plinius lib.20.cap.23.nominat, Scribonius Largus compositione 144.& compo.230.ligulam vocat: est quarta pars cyathi, duas drachmas continens. Nam cyathus vncia est quę octo drachmis completur. ¶Cochlear, vt colligitur ex Galeno lib.7.metho.capit.11.iuxta finem, duplex est: magnum videlicet, & paruum, parui cochlearis capacitas minor est quam drachma, magnum verò integram drachmam complet, teste Manardo lib.12.epistolarum.1. Lupinus, leguminis genus est Hispanè, *el altramuz* vocatur, & ad mensuras deuenit, vt constat ex Galeno libr. 9. de compo.med.secundum locos cap.3. in fine, quo loco lupini magnitudine, pro dosi vtitur,

tur, dum ait. Bibendũ esse daphnoidem tritum lupini magnitudine ad vrinæ prouocationẽ. Idem facit lib. 10. eiusdem tractationis cap. 1. titul. confectiones renales ab Andromacho ad renum & vesicæ affectiones conscriptæ in fine. Siliqua, seminis genus est ex eodem fructu sic dicto Hispane, *algarroua*, quod semen casiæ fistulæ semini, simile existit, ad mensuras deuenit: idem est quod calcus, pẽdet duos Athicos æreos, ex autore libri de ponderibus & mensuris, qui Galeno falso ascribitur: atq; ex Plin. lib. 7. c. 26. Aurus, Arabum pondus existit, sexta est pars vnciæ, videlicet, drachma vna & semiss. autores sunt Isidorus in etymologijs, & Alchindus libr. de ponderibus & mensuris.

FINIS.

SALMANTICÆ,

Apud Ioannem, & Andream Renaut Fratres.

1592.

INDEX RERVM ET VERBORVM, quæ in hoc opere continentur.

A

Cali-

C.

D

E

F

M

 Moschi

Saccha-

Sim-

T

Ter-

FINIS.

